6
19-b
42

6.-19.b.42

Digitized by Google

ARCADUM
CARMINA,
PARS ALTERA.

Ad Eminent.mum & Reverend.mum

PRINCIPEM

GEORGIUM

S. R. E. CARDINALEM

AB AURIA.



ROMÆ, MDCCLVI.

Ex Typographia Joſephi & Philippi de Rubeis apud Pantheon in via Seminarii Romani.

SUPERIORUM PERMISSU.

Emin.mo & Reverend.mo Principi

GEORGIO

S.R.E. CARDINALI

AB AURIA

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

MICHAEL JOSEPH MOREI
ARCADIÆ CUSTOS.

[stamp]

CUm Latina hæc Arcadum Poetarum Carmina, ut in lucem cum dignitate prodeant, Patronum aliquem, ac Mæcænatem deſiderent, ne mireris, Eminentiſſime Princeps, ſi Illa Nomini inſcribam tuo. Neque enim nunc primum eſt,

quod mihi tua Te Virtus illuſtrem fecerit. Quin uſque ab ineunte ętate tua Te noveram. Itaque cum adhuc in Collegio Clementino degeres inter cæteros ſodales tuos, qui & ipſi magnam de ſe ſpem portendebant, & plurimum re vera Civium ſuorum ſplendori contulerunt, Te unum præſertim ſum admiratus, & vix è nobiliſſimo illo convictu egreſſum Te adii, rogavique; ut me in tuorum Numero ſcriberes: ejuſmodi enim tui Ipſius ſpecimen dederas, ut quid de Te brevi futurum eſſet, animo jam præſentirem. Nec mea me decepit opinio. Vidimus Te, Princeps Eminentiſſime, cum ad adminiſtrandam Rempublicam acceſſiſſes, Prolegationis Bononienſis munere inſignitum, in qua talem Te præſtitiſti, ut merito apud omnes ordines ampliſſimam laudem ſis conſequtus, & dignum Te Roma exiſtimaverit, qui in Populorum Regimine occupareris; donec SS. Pontifex BENEDICTUS XIV. *qui Eccleſiam Bononienſem antea regens in admirationem Tui quam maxime jam ſe erexerat, cum res poſceret Virum Generis ſplendore, morum ſuavitate, Conſilio, & Prudentiâ prçſtantem, qui Francofurtum ad Comitia pro eligendo Cæſare Pontificius Orator mitteretur, Te unum potiſſimum deſignavit.*

Quid

Quid illic egeris, quibus honoribus, non modo ob nominis amplitudinem, ac in rebus omnibus Munificentiam, ſed etiam ob Catholicæ Religionis Zelum, Linguarum Peritiam, Animi Magnitudinem, ac reliquarum Virtutum Claritatem Te omnes fuerint proſequti quid referam? Te Apoſtolicum Nuncium apud electum Cæſarem Carolum VII. Idem Sapientiſſimus Pontifex confirmavit; Te vix trigeſimum quintum annum eggreſſum ſacra purpura decoravit; Tibique ampliſſimum Suæ Patriæ Regimen commendavit; neque alia de cauſa poſt decem annos inde adduxit, niſi ut probata Tua Virtus, & ſedulæ cogitationes tuæ, quæ in unius Provinciæ commodum conferebantur, ad communem omnium utilitatem converterentur. Itaque Boni Regiminis Congregationi providentiſſimè Te præfecit; quo in munere qualem Te exhibeas cum omnibus ſatis ſuperque compertum ſit, ſilentio prætercam. Illud tamen tacere nullo modo poſſum, cum tot, ac tantis diſtentus ſis occupationibus, atque omnibus Te facilem exhibeas, aliorumque curas ſuſcipias veluti proprias; Animum a ſtudiis nunquam avertas: Quod Tibi eſt vacuum temporis in lectione elegantium librorum impendas: literarios conventus li-

 ben-

bentiſſime inviſas; & Latinis Carminibus quam maxime delecteris. Quod cum aliquando animadverterem, & ſitam in Te eſse præterea Humanitatem viderem, quæ animos omnium devincit, & Generis & Dignitatis amplitudinem, quæ virum Principem deceat, Te optimum, ſi obtuliſſet occaſio & Patronum, & Mæcænatem Carminibus futurum ſperavi. Libenter igitur, & meo, & communi Arcadum Nomine, quorum Cœtui ab adoleſcentia tua nomen dediſti, Volumen hoc oblatum excipe; Mihique, Eminentiſſime Princeps, ut benignitate qua ſoles, & Authoritate qua polles adeſſe ſemper velis enixe deprecor, & exoro.

AD

AD LECTOREM.

Poſt annos quinque & triginta alteram latinorum Carminum partem damus, quam eàdem methodo, eiſdem legibus, eàdemque forma, quà prior edita eſt, Typis vulgari curavimus. Addendum tamen eſt, cum Aretæ, & Theodoſſi breviora Poemata non ſuppeterent, ex eorumdem Majoris Operis Argumentis quædam nos ſelegiſſe, ne Arcadum adeò Illuſtrium Nominibus Volumen hoc privaretur. Carmen quod ex Lycone damus nos quidem non latet ſub alio ipſius Authoris fictitio Nomine plura continens, Satyræ titulo MS. circumferri; Verum ut hìc legitur ab ipſo Lycone Viro cuidam prudenti, & integerrimo ut Clementi XI. ſine ſatyricis Commentis oſtenderetur, traditum fuit. Reliquum eſt ut quæcumque Ethnicas voces, ritus, aut mores redolent pro ſimplici Poeſeos ornamento accipere velis.

Librum hunc, cui titulus *Arcadum Carmina Pars Altera* Nobis perlegendum, & examinandum traditum Paſtoritiis Nominibus, communique ſigno edendum, ac pervulgandum cenſemus.

Neralcus Caſtrimenianus P. A.
Nicalbus Cleonienſis P. A.
Brennalius Retæus P. A.
Acamantes Pallantius P. A.
Ormidus Leuctronius P. A.
Archæus Alphejanus P. A.
Panemus Ciſſæus P. A.
Euridalcus Coryntæus P. A.
Riviſcus Smyrnenſis P. A.
Perelaus Megarides P. A.

Quando ita viſum eſt Cenſoribus, qui librum ſupra enunciatum perlegerunt, perlectumque probarunt Paſtoritiis Nominibus illum edere, communique ſigno imprimere jus eſto. Datum in Collegio Arcadum Ipſo Neomeniæ die Scyroforionis Anno III. Olympiadis DCXXXIII. Ab A. I. Olymp. XVII. Anno II.

Myræus Ropheaticus Generalis
Arcadiæ Cuſtos.

Loco ✠ Sigilli

Narindus Tritonides Sub-Cuſtos.

Im-

Imprimatur;

Si videbitur Reverendiſſimo P. Mag. Sac. Palatii Apoſt.

F. M. De Rubeis Patr. Conſtant. Viceſg.

APPROBATIO

Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini

PHILIPPI MARIÆ PIRELLJ

Sacri Conſiſt. Advocati, SS. Domini Noſtri Papæ Prælati Domeſtici a Cubiculo Intimo, & Signaturę Juſtitię Auditoris.

ARcadum Carmina, quæ hoc libro continentur, ſive Illuſtrium Scriptorum famam ſpectes, ſive leporem, atque elegantiam, quibus condita ſunt, multum habent, quo ab ætate noſtra, atque a poſteris commendentur. Digniſſima ea cenſeo, quæ publicam lucem aſpiciant; cum veterem Arcadici nominis dignitatem adaugeant; & pietati, ac bonis moribus non adverſentur.

Romæ VII. Cal. Jun. cIↃIↃCCLVI.

Ph. M. Pirellius.

Quod

QUod cura, atque diligentia Viri cl. Michaelis Joſephi Morei prodit Volumen alterum Carminum Arcadum, quodque ego juſſu Reverendiſſimi P. Sacri Palatii Apoſtol. Magiſtri omni ſepoſito partium, & neceſſitudinis ſtudio diligenter perlegi, opus exhibet numeris omnibus abſolutum, in quo nil ferme habes, quod deſideres eorum, quibus ſummi Poeſeos Magiſtri aureo illo Litterarum ævo inclaruerunt. Nihil in eodem deprehendi, quod Sanctiſſimæ Fidei, caſtorumque morum Legibus adverſetur: imo omnia, ut illis conſona, ita elegantia, nitore Latini ſermonis, gravitate, atque dignitate præſtantiſſima inveni. In Litterarum itaque Reipublicæ bonum, cui augendo continenti ſtudio Arcades adlaborarunt, typis illud vulgari oportere omnino exiſtimo.

Ex Cœnobio FF. Prædicatorum ad Minervæ IX. Kalendas Quintiles An. MDCCLVI.

Fr. Dominicus Vincentius Maria Bertucci ejuſdem Ord. P. A.

Imprimatur.

Fr. Vincentius Elena Rmi P. M. Sacri Palatii Apoſtolici Socius, Ord. Pr.

CA-

CATALOGUS AUTHORUM

Qui in hoc Volumine continentur, per Alphabetum Arcadicarum denominationum digeſtus.

ABE'DON MESSENIUS Franciſcus Nicolai Locrenſis Cathedralis Hyeracienſis Canonicus Prothonotarius. 1.

ACHEMÆNIDES MEGALOPOLITANUS Pater Horatius Burgundius Brixienſis Soc. Jeſu. In Collegio Romano Matheſeos Profeſſor, & poſtea ejuſdem Collegii Rector. Obiit anno 1741. 8.

ALCETAS ESENUS, Camillus Comes Zampierius Foro-Cornelienſis. 24.

ARBACES TESMIANUS Ab. Petrus Antonius Petrinius Præneſtinus. 33.

ARETAS EPIDAURENSIS Benedictus Stay Raguſinus. In Romano Archigymnaſio Eloquentiæ Profeſſor, & Eccleſiæ S. Hieronymi Illyricorum Archipresbiter. 39.

ARGESTES MELICHIUS Henricus Newton Anglus ad Magnum Hetruriæ Ducem & Remp. Genuenſem Magnæ Britanniæ olim Ablegatus. 46.

ASTRIDIUS DAPHNITICUS Sigiſmundus Princeps Chyſius ex Farneſii &c. Principibus Romanus. 49.

ATRENUS ALITTORIUS Abb. Joſeph Odatius Adrianus, Obiit Anno 1727. 51.

BERGERIUS NONACRIDÆUS Ab. Franciſcus Marianus Viterbienſis Vaticanæ Baſilicæ Beneficiatus, & Bibliothecæ Linguæ Grecæ Scriptor. Innocentio XIII. olim ab intimo Sacello. 57.

CALLIMACUS NERIDIUS P. Thomas Ceva Mediolanenſis Soc. Jeſu, Obiit anno 1737. 59.

CORILÆUS NAXIUS Benedictus Averanius Florentinus. In Piſano Archilyceo Eloquentiæ Profeſſor. Obiit anno 1707. 67.

CRI-

CRISENIUS BEROENSIS Jo. Gottlob Boehme Germanus in Lypſienſi Univerſitate Profeſſor. 71.
DALGUS METYMNÆUS P. Bernardus Guilielminus Gallus Schol. Piarum. Olim in Collegio Nazareno Eloquentiæ Profeſſor. 73.
DASMON ANDRIACUS P. Ignatius Ciancius a Cruce Neapol. Aug. Excalc. ſui Ord. Viſitator Generalis. 85.
DESIPPUS FOCENSIS Ab. Petrus Antonius Seraſſius Bergomas. Olim in Patria Eloquentiæ Profeſſor, nunc Collegii Ceraſolæ Romæ Rector. 94.
ERATO DIONÆA Catharina Borghinia Nobilis Piſana. 96.
EUMELUS OLENIUS Emanuel Martinus Hiſpanus Eccleſiæ Alonenſis Decanus. Obiit anno 1737. 100.
FALASTUS MANIACUS Benedictus Theodorus Floravantes ex Acuto in Hernicis. 110.
FANETES TRACHIUS Petrus Paulus Bajulivus Marcolini Fanenſis. 115.
GLAUCILDUS CYRNENSIS P. D. Joſeph Maria De Lugo Cremonenſis in Collegio Clementino Eloquentiæ Profeſſor. 120.
LABISCUS TEREDONIUS P. Laurentius Fuſconius Ravennas Min. Conv. SS. Theologiæ Bononiæ Lector. 129.
LEALGUS IRANENSIS Hieronymus Melani Senenſis Eminentiſſimi Card. Creſcentii Ferrariæ Archiepiſcopi a Secretis. 131.
LOCRESIUS TEGEUS Flaminius Scarſellius Bononienſis Eloquentiæ in Patria Profeſſor, & Bononienſis Senatus Romæ a Secretis. 136.
LYCON TRACHIUS Ludovicus Sergardius Senenſis Reverendæ Fabricæ a Secretis, & Oeconomus. Obiit Anno 1727. 137.
MYRÆUS ROHPEATICUS Ab. Michael Joſeph Morei Florentinus, Arcadiæ Cuſtos Generalis. 144.

NADISTUS MANTINÆUS Ab. Franciſcus Lelli Sabinus, Thomæ Card. Ruffi Sacri Collegii Decani olim a Secretis. 169.

NEVILLUS ARACINTIUS Ab. Mutius Scævola Tyburtinus. 180.

NICETAS PHALANTIUS P. Carolus Noceti Parmenſis Soc. Jeſu olim Eloquentiæ in Collegio Romano deinde Philoſophiæ ac Theologiæ Profeſſor, nunc Sacræ Rituum Congregationis Conſultor, & Pœnitentiariæ Apoſtolicæ Theologus. 183.

NUMENIUS ANIGRÆUS P. Rogerius Joſephus Boſcovichius Raguſinus Soc. Jeſu. In Collegio Romano Mathematicarum Profeſſor. 195.

OCRITÆUS TOLIDIUS D. Hieronymus Pilo Panormitanus Capacii Comes, Marinæi Marchio &c. 216.

OPYCUS ERYMANTÆUS J. Vincentius Gravina Neapolitanus e Conſentia. Ex XIV. Arcadiæ Inſtitutoribus, & in Romano Archigymnaſio Juris utriuſque Anteceſſor. Obiit Anno 1718. 219.

ORITUS PILIACUS Franciſcus Maria Zanotti Bononienſis In Patria Philoſophiæ Profeſſor, & Inſtituti Bononienſis a ſecretis. 223.

PHILACIDAS LUCINIANUS Ab. Franciſcus Lorenzini Romanus olim Arcadiæ Cuſtos Generalis. Obiit Anno 1743. 233.

PHILLIRIUS BERITIUS P. D. Camillus Bovoni Januenſis Cong. de Somaſcha Humaniorum Litterarum in Collegio Clementino Profeſſor. 237.

SALICESTES TELPUSIANUS P. Alphonſus Nicolai Lucenſis Soc. Jeſu Auguſtiſs. Imperatoris Franciſci I. Florentiæ Theologus. 243.

THEODOSSUS CEPHISIUS Melchior S. R. E. Card. de Polignac Gallus. Obiit Anno 1741. 260.

TRINURUS NAVIANUS P. Paulinus Cheluccius a S. Joſeph Lucenſis Schol. Piarum Rector Generalis

& Elo-

& Eloquentiæ in Romano Archigymnaſio Profeſſor, Obiit Anno 1753. 269.
ULIPIVS GRINÆJVS Jo. Antonius Vulpius Patavinus . In Patavino Archilycæo olim Philoſophiæ, mox Eloquentiæ Profeſſor. 277.
ZENOPHANES LYCIVS P. Carolus Rotius Florentinus Soc. Jeſu. Eloquentiæ in S. Andreæ Romano Tyrocinio Profeſſor. Obiit Anno 1741. 287.
ZITALCES MELENIDIVS P. D. Franciſcus Maria Riccius Romanus Monachus Caſinas Abbas Sanctæ Mariæ Pompoſæ, & S.Benedicti Ferrariæ. 299.

IN-

INDEX COGNOMINUM AUTHORUM.

AVeranius. *Benedictus*. 67.
Boehme. *Jo. Gottblob*. 71.
Borghinia *Catharina*. 96.
Boſcovichius *Rogerius Joſephus*. 195.
Bovoni *Camillus*. 237.
Burgundius *Horatius*. 8.
Ceva *Thomas*. 59.
Cheluccius *Paulinus a S. Joſeph*. 269.
Chiſius *Sigiſmundus*. 49.
Cianciuſ *Ignatius a Cruce*. 85.
Floravantes *Benedictus Theodorus*. 110.
Fuſconius *Laurentius*. 128.
Gravina *J. Vincentius*. 219.
Guilielminus *Bernardus*. 73.
Lelli *Franciſcus*. 169.
Lorenzini *Franciſcus*. 233.
de Lugo *Joſeph Maria*. 120.
Marcolini *Petrus Paulus*. 115.
Mariani *Franciſcus*. 57.
Martinus *Emanuel*. 100.
Melani *Hieronymus*. 131.
Morei *Michael Joſeph*. 144.
Newton *Henricus*. 46.
Nicolai *Alphonſus*. 243.
Nicolai *Franciſcus*. 1.
Noceti *Carolus*. 183.
Odatius *Joſeph*. 51.
Petrinius *Petrus Antonius*. 33.
Pilo *Hieronymus*. 216.
de Polignac *Melchior*. 260.
Riccius *Franciſcus Maria*. 299.

Ro-

Rotius *Carolus*. 287.
Scarſellius *Flaminius*. 136.
Scævola *Mutius*. 180.
Seraſſius *Petrus Antonius*. 94.
Sergardius *Ludovicus*. 137.
Stay *Benedictus*. 39.
Vulpius *Jo. Antonius*. 277.
Zampierius *Camillus*. 24.
Zanottus *Franciſcus Maria*. 225.

FRAN-

FRANCISCUS NICOLAI
Locrenſis

INTER ARCADES

ABE'DON MESSENIUS.

IN NATIVITATE DOMINI

CARMEN.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SCilicet hùc bonitas tua te rex magne Deorum
Impulit, unigenam cœlo demittere ab alto
Ut velles gnatum: mortali in veſte ſacerdos
Eſſet qui noſtrâ, ſimul eſſet & hoſtia, qua nos
Ab ſcelere antiquo, concreta & labe parentum
Ablueret, crucis horrendam facturus ad aram?
Nam maleſane pater quæ tanta inſania, quænam
Arboris & vetitæ illa fuit tua dira cupido,
Imperium ſummi imbiberes uti temnere Regis,
Tantamque induere in fraudem teteque, nepoteſque,
Ac genus omne tuum? Ex illo nam pallida terris
Incubuit mors, ac morborum exercitus omnis:
Vecors ira, metus, & amor ſceleratus habendi,
Ambitioque mala. Et vero nos funditus omnes
Perdideras, morti addictos, ſceleriſque luelæ,
Nì cladem tantam miſeratus, ab æthere ſummo
Demum ferret opem Divûm pater ipſe, hominumque.
Ergo ubi finita adfuerunt jam tempora primum;
Hebdomadeſque actæ denæ ſunt denique ſeptem:
Ultimaque advenit Cumæi carminis ætas,
Aurea tecta poli linquens, ſedeſque beatas
Nate Patris ſummi, ac terram delatus ad imam
Conderis intactæ ſacrata Virginis alvo.
Fortunata nimis Virgo, quam magnus Olympi

Rex, dominus rerum tanto dignatus honore eſt,
Æquevum ut gnatum, per quem ſunt cuncta creata,
Et maria, & terræ, & Cælum, ac candentia cæli
Sydera, totque hominum ſecla, & tot ſecla ferarum,
Æternum, immenſum, quem totus non capit orbis,
Geſtares, decimo & pareres poſt denique menſe.
Quis te, quis poſſit partus celebrare verendos
Diva tuos, digno quis poſſit tollere cantu?
Non ego, cui gelidus circum præcordia ſanguis,
Cui ſenio vires fractæ, ac exilior eſt vox.
  Ergo vicem ſocii vos vos veſtramque, meamque
Paſtores decus Arcadiæ, cantare periti,
Et quibus integræ juvenili in corpore vires,
Vos celebrate pii Matrem, Natumque canendo.
  Et verò, noſtræ quæ ſunt communia ſacra,
Ac mores gentis, magnum quæ ſparſa per orbem,
Servandum nobis: decet atque exempla beatæ
Illa ſequi noctis, magni quæ conſcia partus,
Tempore poſt tanto demum mortalibus ægris
Attulit optatam lucem, finemque laborum.
Qua nocte excubias agitant dum Bethlema circum
Paſtores, ovibuſque cavent de more per agros,
En tonere, en ſubito compleri lumine cœlum,
Aliger & juvenis cœlo deſcendere aperto,
Inſignis forma, claraque in luce coruſcus,
Atque illos ſic affari: Timor omnis abeſto
Paſtores, ſuperis gens acceptiſſima divis:
Ne trepidate, bonus vobis nam nuncius adſum:
Servator veſtri, ac populi nunc denique natus,
Et mundo expectata ſalus nunc denique parta eſt.
Ite agite, & magni cunas inviſite Regis:
Cunas, quas durum ſternit præſepe ſub antro.
  Vix ea fatus erat, lætum & pæana per auras
Auditum: viſæque armiſque auroque decoræ
Cæleſtes acies, ac verſicoloribus alis
Exercere choros, ac gaudia ſpargere terris.

Queis acti viſis, faciunt cæleſtia juſſa
Paſtores, antrumque petunt, mora nulla, frequentes;
Et ſua quiſque ferunt anni pro tempore, proque
Fortunis cujuſque, agreſtia munera læti.
Hic ſuper impoſitum ſtipulæ puerum, inque volutum;
Ut didicere, vident pannis: matremque, virumque
Matris: & ingenti mentem dulcedine tacti
Munera dant ſua, quæ tulerunt, Regemque ſalutant.
O vos fælices, fælici tempore nati
Paſtores, adeò Genitor quos æquus amavit
Omnipotens, vobis manifeſta ut luce videndos
Sponte darent ſuperi ſeſe: quin & Deus ipſe,
Magna Patris ſoboles, magnum Patris incrementum
Vos unos proprii teſtes optaverit ortus.
Nam quæ lætitiæ vos ſigna dediſſe putarim?
Quos agitaſſe choros, quas & duxiſſe choreas?
Quot lituos inflaſſe leves, & cornua cantu?
Quot cava proceris planxiſſe & tympana palmis?
Quot paſtorali fudiſſe & carmina canna?
Credo equidem, antrum illud fælix, ſuper impendentes
Et cautes, & agros, & circum compita, claris
Undique carminibus reſonaſſe, atque undique avenis
Hæc vos facta ſequi decet, hæc exempla ſodales;
Si vos eſſe pios vultis, voſque eſſe videri
Paſtores, paſtores & vos Arcadas eſſe.

AD DEIPARAM
ODE.

MAter Magna Dei Virgo, minantia
Cœlo quæ celebras Saxa Locrenſium:
Cujus præſidio Mænalis & nova
Paſtorum tegitur manus.
Quod gens noſtra adeo creſcit, & ubere
Proventu ab ſtudiis Aonidum ſacris.

Paſſim divitias colligit aureas,
  Ac vitam placidè colit.
Quod noſtris gregibus non faciunt lupi,
  Fureſque inſidias, & redeunt oves
  Ad mulctram ſaturæ, lacteque diffluunt
    Semper, ſemper & integræ.
Id verò illud erat, quod cuperem magis
  Unum, qui patriæ tam cupio bene, &
  Pro quo tantus adhuc ex animo mihi
    Suſceptus labor eſt diu.
Id verò illud & eſt, quô tibi maximas
  Grates o Genitrix nunc puto debitas:
  Munus namque tuum eſt: pro meritis tamen
    Dignas reddere quis queat?
Si non templa tibi marmore Punico
  A nobis poterunt ſurgere, nec graves
  Aræ muneribus ſtare Aſiaticis,
    Qui ſanè tenues ſumus.
Aſt id, quod poterit noſtra tamen cohors,
  Nullo defuerit tempore: & annuos,
  Protecti viridi fronde caput tibi hos
    Ludos rite novabimus.
Muſarumque ſimul munera largiter
  Pendentur variis ad citharam modis.
  Quin annis gravior quamlibet ipſe ſim,
    Nullas reſpuero vices.

SERMO.

NAm quid agis? celeri curſu dilabitur ætas:
Aude aliquid, concinna aliquid jam tandē aliquando
Ferre vetuſtatem quod poſſit; eôque nepotes
Te vixiſſe ſciant: fateor mea dicta fuere,
Ut quandoque gravi poſſem te excire veterno.
At non continuò, ſi velles ſanus haberi,
Scribere oportebat Satyram, tantamque ſubire

In-

Invidiam, modo qui tam diligerere ſuaves
Ob mores; nulloque infectam crimine vitam.
Invidiâ, ſed enim dices, nihil ipſe malorum
Commoveor, placeam qui, ſim caruſque probatis;
Quos mihi amice probos narras, quos eſſe neceſſe eſt
Jam paucos, & eos tam neglectos miſeroſque;
Ut nihil inde mali valeas ſperare, bonique.
Nam quis vel Brocchos numero Matioſve bonorum,
Sexcentoſque alios habeat, qui ſe meliores
Ore probant, verbiſque; negant tum poſtea factis?
Heu nimium vitiis ætas hæc noſtra redundat,
Ut culpa prope nemo vacet. Quî furta, fidemque
Proditam, adulteria & lenocinia, & ganeas, &
Quî ſordes cædeſque, venenaque, totque animorum
Tangere tu poſſis morbos, compreſſa dolorem
Ulcera quin faciant; rabidæque truceſque repente
Iræ exardeſcant? Nollem quod ruſticus olim
Paſſus, me ſpectante, tibi accidat. Impiger ille
Ante fores ſtabuli petimen dum tergit aſelli;
Scalpendique modum nullum facit; ecce doloris
Sive moræ quadrupes pertæſus denique vertit
Clunes; & dicto citiùs nil tale timentem
Calce petit, ſternitque. Deum tunc ille hominumque
Exclamare fidem. Miſerum ſe aſinumque ſceleſtum,
Qui bene tam meritū Dominum male tam accipiebat.
Nos hominem effusê contra ridere, ab inerti
Qui, ignavoque aſino virtutem quæreret excors.
Eſto nihil timeas, quod mens tibi conſcia recti
Sit tua: Nec ſanctæ ſancto ſub Principe leges
Vim metuent. Quid ſi multum quandoque negotj
Conſieri innocuis indemnatiſque vides, &
Non ex jure manū conſertum ſemper agi rem,
Sed quandoque etiam ferro, lignove maligno?
Si ſapis ergo, putres animos abſiſte medendo
Attrectare hominum: tibi nam, prædico, creabunt
Magnum aliquod, capiti illorum ætatique, periclum.

Rides? herclè ego vero rideo; nam quis amice
Verba tot incaſſum fruſtrà molimine tanto
Jactantem non rideret? ſunt, quis neget? hæc tu
Omnia vera tamen quæ dixti, ſed nihil ad rem.
Quandoquidem non cæcus ego ut non iſta viderem,
Si fuerat viſis opus. Ergo tanta remordet
Quando mei te cura, meam nunc accipe mentem.
Principio quam ſim provecta ætate, putare
Te Miræe velim: mihi, ſis ne neſcius, una
Ad ſenium nunc jam properanti æſtas, hyemeſque
Binæ obſtant: natura, ut ſcis, ſubtriſtis & aſper
Sum nimio plus quam vellem: nec factus ad ullam
Mollitiem verborum ſeù morum. Canerem ergo
Fulmineos oculos dominæ, crineſque nitentes
Sydeream frontem, os roſeum, labiaſque rubentes,
Candidulos dentes? quis non me rideat, atque, oh
Bellulum amatorem, addat? num per me caput alga
Tectus & ipſe ſuo Tybris de flumine ſurgat?
Audiat aut Cæſar Romanus: ſeu ferus orco
Sanguine turpatus Teucrum remeabit Achilles?
Aut Anchiſiades pectus ſuſtollat ab urna
Tempora Vulcani contectus caſſide, & haſtam
Ipſe manu quatiens? nimium ſim immitis eorum
Si natibus quoque ego ſat jam liventibus addam.
Nam nihil eſt ut ſtagna velim inferna irruere ultro
Nullo operæ pretio, tantùm viſurus hiantis
Ora canis, fædas umbras, pænaſque nocentum;
Ætherei vel regna Patris, ſedeſque beatas
Immenſum per iter conſcendere, nuntius actum
Quidnam nos inter ſit, quid non, tum rediturus:
Somnia vel tandem chartis mea texere, cum ſim
Nulla bonus finxiſſe, quibus conſtet caput, aut pes.
Ut dicam plane modicum mihi, vel prope nullum,
Broccus uti putat, hac vel re non peſſimus auctor,
Ingenium eſt. Moliri ergo cum magna nequirem,
Hoc fuerat reliquum, Satyram tentare, ſeveros

Quæ

Quæ res una meos mores annoſque deceret,
At nequid tamen inde putes mihi poſſe noceri;
Nulla Deûm virtute mea extant impia facta,
Aut dicta, & nec uti ſpero extabunt. Facere ullum
Non ego mortalem ſuetus ludumque, jocumque,
Ægrum animi quenquam;ipſe ſibi modo ſtrenuus adſit
Ac vitiis obſtet quantum pote. Ferre ſed illos
Quî valeas queſo nebulones, qui ſibi nullam
Querere opem ſolertes, at faciunt tamen hoc plus
Ut ſe ſponte malos, populo quacunque probare
Contendant ratione: bonos autem quotquot ubique
Sunt, habeant præ ſe contemptos, ridiculoſque?
Hoſce impuratos homines, ſiquid mea poſſunt
Carmina depexos pulchrè dabo; nullus ut urbis
Contentos in ſe digitos non horreat omnes.
Nam ſua confictis quantumvis fabula agatur
Nominibus, nihilò minus at benè tam graphicèque
Deſcribentur, uti videant ſeſe, atque videri
A cunctis illa credant ſub imagine turpi.
Nec tamen iccirco ſperes, hos lege, vel unquam
Vi mecum acturos. Quid enim? quia vincere nequis
Detraxiſſe queat de ſe nos, hunc ita ludum
Ludemus dextrè, atque catè. Bacchanal adæque
Jucundum faxo nullum luſum, lepidumque.
Qua id ratione rogas? madidi genialia Bacchi
Orgia finge animo; cujus comes unus, & alter
Dum motus incompoſitos dat: dum cooperta
Vitibus, atque hederis intentat cuſpide thyrſum;
Spectare incauta, & nihilum ſibi turba timere:
Hujus, & illius diſtringi corpora paſſim;
Nec mutire tamen prorſus quiſquam, & ſapienter;
Ad damnum accedat ne ignominia inſuper: ille
Bacchicus interea noſter ſecurus abire.
At vocet & quivis, licet, in jus: carmine ſtrictum
Seque malo contendat. Aget nihil; ipſe negabo
Inſtabit factum; ipſe negabo, perque negabo.

Hærebit ; quid enim dubites ? ac denique riſus
Perpeſſuſque jocos omnes cauſam mihi tradet,
Diffugietque. Domum ipſe meam victor remeabo
Nam vim cur timeam non eſt, cum durus & aſper
Publica procurem haud ego vectigalia ; nunquam
Aut bonus unanimes armare in prælia fratres,
Ullius aut foribus putres ſuſpendere feles.

HORATIUS BURGUNDIUS BRIXIENSIS
Soc. Jeſu

INTER ARCADES

ACHÆMENIDES MEGALOPOLITANUS.

DE RESPIRATIONE
CARMEN.

O Quæ ſumma tenes abrupti culmina Pindi
Uranie, cujus plaudentia cantibus aſtra
Æternas agitant choreas, potumque miniſtrat
Cui defecati liquidiſſimus ætheris hauſtus,
Tu mihi, tu memora (quoniam deſueta ſilentis
Fila liræ redamare jubes, Phœboque recenti
Informas) quoſnam vitæ mortalis in uſus
Veſcimur aſſidua Cæli ſpirabilis aura;
Alternuſque almam ſuſpendit anhelitus; æſtum
Seu tumidi cordis mulcet, rapidumque cruorem
Compeſcit venis infuſus ſpiritus, urget
Sive reluctantem ſtimulis, nodoſque reſolvit,
Nec patitur conſpirantes coaleſcere partes;
Quidquid id eſt tu Diva mone, mihi tempora poſtquam
Non expectata libuit vincire corona,
Quam modo Miræus, quam detulit Alpheſibæus.

Ar-

Arcadiæ Cuſtos, multum indignante Matheſi
Me radio plectrum, Cælo præponere Pindum.
Criſtallo varias ſimul atque inducere formas;
Et patina exceptam terere; & lævore nitentem
Reddere materiem; & lucem prohibente cilindro
Edocuit vitreas amicire Dioptrica lentes;
Continuò patuit veteri novus orbis in orbe;
Ac rerum natura licet ſtudioſa latendi.
Uſurpari oculis cœpit, ſeſeque videndam
Obtulit in minimis; ſed non niſi maxima rebus.
Tunc minor orbe Venus conſpecta; ſatellite cinctus
Juppiter; & pullis atratus pectora Zonis;
Longinquum at circa Saturnum baltheus aureus
Viſus, & innumeris rutilans via lactea flammis.
Humani ſed qui ſtructuram corporis aſtris
Anteferunt avido dum ſingula lumine luſtrant,
Opſtupuere cavi non enarrabile textum
Pulmonis cujus tenuiſſima grana rubentis
In faciem botri fulcit radicibus imis
Aſpera decreſcens a ſummo arteria trunco:
Has intra latebras vi ponderis influit aura,
In ſubſidentem puppim ceu defluit unda.
Hinc teneræ infantum lacrimæ, vagitus & ingens
Dura ſalutantum miſeræ primordia vitæ,
Exta quòd admiſſus molliſſima torqueat aer.
Scilicet aerea demergimur Amphitrite,
Quæ patulas implet nares; fauceſque refuſo
Ingreditur fluctu; perque omnes inſinuat ſe
Pulmonis teretes acinos, & inania vaſa.
Tum vero molem incipiunt augere priorem
Singula ſanguiferi turgentia grana racemi;
Et quia vitalis circa præcordia major
Eſt calor, in majus ſpatium calefacta recedit;
Anguſtoque nimis clauſtro negat aura teneri;
Jamque relaxatæ panduntur ab impete coſtæ;
Comprimitur diaphragma, tument thorace reducto

Pectora, dejectique abdominis ilia ſurgunt.
Sic inteſtinos arcto quæ carcere ventos
Concludit veſica, facem ſi forte propinquo
Mulciber admoveat lateri, & vim ſentiat ignis,
Cernitur in ventrem circum undique creſcere, vincat
Rauco diſſiliens jam jamque repagula bombo
Vulcani propior lambat ſi lingua tumentem;
Hauſtis non aliter pulmo diſtenditur auris,
Quas ubi concepit per multifores mæandros
Pellit agens, clauſaſque rudi cum ſanguine miſcet.
E dextro ſiquidem conclavi cordis inundat
Admixtus roſeo niveus cum ſanguine chylus,
Qui penetrat cordis thalamum non ante ſiniſtrum,
Quam circumductus per pulmonis labyrinthos
In tenues abeat ſpumas & combibat almæ
Florem auræ, centumque meare per oſtia juſſus
Induat innumeras imitatus Protea formas.
Nonne vides una naſcatur ut arbore proles
Difformis? ſociata pyris redolentia poma
Arte jubente dedit Ceraſus, nec adultera Prunus
Formidat mutare Genus; quid citrea mala
Heſperidum loquar? implacido vigilata dracone
Mille modis variant, ramoque pependit eodem
Diſſimilis ſoboles; quin ſæpe tricorpore fœtu
Gaudent virgati referuntque Geryona partus.
Nempe unus fuerit quamvis, in mille figuras
Vertitur exceptus non uno cortice ſuccus.
Sic diſcordantes aptas pervadere ductûs
A pulmone cruor formas adſciſcit, & omnem
Tranſit in effigiem, ſignis velut annulus aſper
Transformat facilem majorum in ſtemmata ceram.
Impreſſas neu forte notas vertigo perennis
Actus & in gyrum valeat corrumpere motus,
Dum ſanguis bibulos circumfluus irrigat artus,
Nant interfuſo diviſæ rore figuræ,
Servanturque pari quod ros premat undique niſu.

Qua-

Qualiter alpini Boreæ cum ſpiritus atris
Nubibus incubuit, campoſque ſilentibus abdit
Velleribus nivium, teneram licet urgeat aer
Complexus glaciem, quia par eſt undique niſus,
Nativam retinent chriſtallina corpora formam;
Sed coeunt, manibus ſimul ac tractata leguntur,
Inque globos abeunt capiti ſcapuliſque timendos,
Ludicra dum fervet petulans in bella Juventus.
Poſtremo quævis vario eſt ut idonea cribro
Forma recepta ſubit varios per membra meatus;
Unde jecur flava ſaturatur bile, cerebrum
Candicat, & ſucco lacteſcit pancreas albo,
At ferrugineus tetricum ſplenem inficit humor.
Interea thalamum vix cordis adire ſiniſtrum
Cogitur a pulmone cruor, quo pectoris inſtat
Diducti per vim conatus pellere, jamque
Intra vitales dudum captiva receſſus,
Quæ latuit, longo quoniam tenuata calore eſt,
Ad ſuperas redit aura plagas; loca ſumma tenere,
Sed nequit internis fugiens penetralibus aer,
Quin ruat in latebras nova protinus aura relictas.
Hinc alternatim reparatur anhelitus intra
Thoracem, dum vita manet, gaudetque referre
Neptuni genium, pelagique reciprocus æſtum.
Multum adeo refert conſtanti ducere vitam
Sub cælo, quo rara ineant certamina venti,
Nec modo Caurus agat nimbos, modo diſſipet Eurus,
Arceat & Boreas quos advehit Affricus imbres;
Nam qualis turbavit apum ſub Sole labores
Nubibus a modicis ſubito collecta procella,
Inceptoſque favos limphis vitiavit iniquis,
Mellaque decuſſit foliis cithiſique, thymique
Et flavo ceras hærentes crine geniſtæ
Grandibus exanimata involvens agmina guttis;
Talis temperiem mutat cum ſæpius aer
Officio pulmonis obeſt prohibetque, liquores

Quo

Quo debent preſſu cudi, variumque tremorem
Inducit fibris diverſi ponderis aura
Inſinuata, poros inimicus & obſtruit humor.
At quia pars Cereris, Bacchique potiſſima laxæ
Circumfuſa cutis per ſpiramenta meando
Avolat in non conſpicuos reſoluta vapores;
Apricis ideo vacuos traducere ſoles
Collibus urbe procul conducit qualia priſcis
Olim Cæſaribus fertur gratiſſima Tempe
Explicuiſſe virens pacali Tibur oliva,
Saxoſumque ſonans Anio, quem præpete lapſu
Commendant alta canæ de rupe ruinæ
Sævis Romulidum curis; vel qualia fecit
Otia Telegoni regio, cui denſa coronat
Villa caput, veteremque recens cui gloria famam
Ampliat, & primum redimet cum fœnore nomen.
Nimirum barometra docent gravitate minori
Urgeri celſis tenues in montibus auras
Quam quæ cerulei præſtringunt marmora ponti.
Ejicit hinc melius collis de vertice lætus
Purgamenta cruor volucrem cui purior æther
Conciliat motum, nec hiantis pondere claudit
Oſtia ſumma cutis, cuneis neque farcit adactis,
Quos vomit incandens Phæbea lampade tellus.
Inde vigor membris; capitique hebetudo remota,
Atque ingrata quies, & amor reparatus edendi.
Ire juvat quò turba canum latratibus aures
Impulit auriti leporis, notique cubilis
Vallo diffidens horam differre ſupremam
Nititur arrepto ſpelæa per invia curſu;
Subdola vel ſiſtunt pingues quo retia turdos;
Incautamque fugam viſco illita virga fefellit.
Aſt humili ſi valle ſitas habitaveris ædes,
Ægrè diſcutiet ſegnes a corpore fęces
Sanguis hebes; tumefacta moram per crura, per armos
Stagnantes ducent limphæ; quatientur anhela

Pul-

Pulmones tuſſi & longis tentabere morbis.
Nam quodvis cæli vitium commercia cæcas
Per latebras pulmonis init cum ſanguine, qualis
Inflatus quemvis bibit, & vomit aera follis.
Nec ſatis eſt noctu fumi ſorbere tepentis
Undantem nubem, reſonans aut pulvere nares
Purgare hiſpano, aut tetram motura ſalivam
Mandere braſilicæ glomerata volumina frondis.
Quippe Machaonias artes vis tabida cæli
Corrupti vincit, Bromii licet uſque cremati
Invertas ſummo repetitos mane culullos
Quos defert urbis per compita pocillator
Stentorea dulces abrumpens voce ſopores
Adde quod oppletæ conferto ſanguine venæ
Lenta vitales remorantur compede motus.
Euganeis etenim ſubjectam collibus urbem
Dicitur incoluiſſe ſenex, Sanctorius illi
Nomen, termometrum qui primus Apolline dextro
Invenit, largâque madens cui Pallade pectus,
Sed mutæ cui precipuis in amoribus artes.
Appenſam Is mediis celſæ laquearibus ædis
Demiſit libram cujus pars altera magnam
Fulciret molem, at reliqua ſe parte locaret
Momentum ipſe ſui metitus corporis æquæ
Lancis ad examen, ſeu parcæ accumbere menſæ
Suaderet jejuna fames, labefacta diurnis
Sive miniſteriis repararet membra quieto,
Pelleret excuſſo pigrum ſeù Morphea ſomno:
Denique crimen erat non omnia pendere libra.
Uſque adeo pulchri mens tacta cupidine veri
Nil intentarum patitur, nil linquit inauſum!
Nec mora: morborum nova ſe patefecit origo.
Scilicet humanos artus hac lege teneri
Comperit, ut fibris motricibus indita virtus
Certa ſit, at fibras variabilis imbuat humor
Labentis variis pro tempeſtatibus anni,

Pro-

Proque cibi, motuſque modo, vitæque tenore.
Incipient hinc algentis vix tempora brumæ
Producto noctis ſpatio crudeſcere, jamque
Aura coacta poros arctabit, & uſque rubenti
Naſo diſtillans hærebit pendula gutta,
Pulmonem rivis pituita perennibus anget,
Abſurdumque frement hebeti raucedine fauces.
Tunc tibi fatalem ſubitæ pleuritidis ictum
Pneumonicæque dolos tabis cave, ſævit acerbo
Forfice tunc Lacheſis. Vos Martia mœnia teſtor,
Buſtaque Romulidum crudelis conſcia lethi.
Hei mihi quot clades totam bacchata per urbem
Intulit hibernis atrox Libitina diebus!
Illuſtres vileſque animas diſcrimine nullo
Junxit certa domos atris inferre ſepulchris
Impia nec facinus timuit furiale, profanam
Auſa manum ſummæ tactu ſcelerare Tiaræ.
Ah, tantum, ſuperi, poſthac avertite funus!
Si pia vota valent, ſi læſum flectere Numen
Thure licet, ſurdaque preces ſi non bibit aure,
Soſpite Roma diu reddatur Principe Soſpes.
Talibus orabam, Cæli cum parte ſerena
Intonuit lævum micat & quo lutea vultu
Puniceas Aurora roſas dum ſpargit Olimpo,
Viſus adeſſe mihi recubans Sanctorius æquæ
Lance ſuper libræ, ſed libræ, lucida pulchro
Sidera quam nexu formant, ac talia fatur.
Quæ petis, evenient: at enim vulgare memento
Indomiti cauſas ſimul & medicamina morbi,
Nempe redundantis laticis quæ portio clauſos
Per cutis anfractus abigi nequit, influit ægri
Pulmonis latebras ac lento glutine cinctum
Alligat, invaditque tenacibus undique limphis
Cumque figurandum chylum non amplius aer
Ventilet, & cordis thalamum penetrare ſiniſtrum
Ignavi muſcoſa vetent obſtacula viſci,

Con-

Conclamata ſalus, & inevitabile fatum eſt,
Stagnantem eliciat niſi terque, quaterque cruorem
Prompta manus, primas radices figere, diro
Nec ſphacelo medicæ conſentiat immemor artis.
Fibrarum ſiquidem quoties nativa facultas
Par eſt in gyrum trudendo vincere lentam
Humorum maſſam, toties melioribus uſus
Viribus exultat venis cruor impiger, at ſi
Non excludatur celeres tenuatus in auras
Membris humor iners graveolentum more paludum
Torpebit nimio remoratus pondere nervos.
Deſidioſa negat paulatim hinc fibra moveri,
Quod, tenues vires ſuperante labore, fatiſcat,
Et magis atque magis creſcentem pellere molem
Impar facta oneri tandem ſuccumbat iniquo.
Sic ubi Phidiaci nondum miracula cæli
Edoctum marmor ſtridentia pondere plauſtra
Altè infixit humo, ſtimulis neque parcit agaſo
Cum clamore minas & agreſti dura lacerto
Verbera deproperans, eliſi procubuerunt
Fortia colla boves, & ab imo pectore vaſtis
Indignatam animam ſingultibus exhalarunt.
Largo maturi pretio tibi ſanguinis ergo
Eſt redimenda ſalus humorum ut mole minuta
Motrix fibra queat revolubile vincere pondus.
Sic ait, atque oculis vale dicere viſus amicis,
In vacuas obiit Titane nitentior auras.

DE FLVMINIBVS

CARMEN.

Unde vigor primo ſemper redivivus ab ortu
Fluminibus; quis corroſas apto aggere ripas
Tutetur labor, & cultis procul arceat arvis
Perniciem lapidoſam; abruptas pontibus altis

Ex-

Expediat quæ cura vias, quæ ſub juga miſſis
Ars inſultet aquis, ac fræna minacibus addat
Bellerophonteæ Cuſtos fidiſſima lymphæ
Muſa refer, vatemque potentibus imbue rivis.
Naiadum fluviale genus, fontanaque Nymphæ
Numina concilianda mihi, quæque horrida vultu
Flumina taurino non mollem tempora circum
Admittunt laurum, ſed muſco, ulvâque paluſtri
Cæſariem ſimulant, & arundine cornua velant.
Plurima quæ liquidum cernis vectigal aquarum
Pendere diviſo luctantia flumina ponto
Fontibus a minimis ducunt exordia, loto
Cum grege quos ſolet impavidus tranſmittere paſtor.
At qua nam gelidi ſcateant ab origine fontes
Occuluit natura, caput nec ſolus aquoſum
Rupe ſub incerta latitans amat abdere Nilus,
Sed notis etiam manant qui fontibus amnes.
Tabentes ſeu vere nives, pluviaſque repoſtis
Excipiat tellus crateribus, unde perennem
Parcè promat aquam frugali provida vena;
Ceu cuſtodita longum nive frangere ſoles
Æſtivos juvat, & glacies, quam cana revinxit
Bruma, cleoneos hebetat ſervata leones.
Seu vacuæ rigeant camerato fornice cautes,
Quas ubi difficiles mæandros æquoris unda
Eluctata petit ſubterlabente ſoluta
Igne calet, ſcatebriſque vapor lacrimantibus hæret,
Ut circumpoſiti repetito pumicis hauſtu
Ad ſuperas redeat cryſtallo purior auras.
Sic lentè coſtas ſupra frigentis aheni
Vulcano lambente roſarum cogitur ales
Humor, & in teretes facto fluit agmine guttas
Veris odoratas animas ſolvente calore.
Seu qui multiforis terræ per viſcera Nereus
Cæca meat ſalium cuneos anguſta viarum
Nactus deponit, ſenium velut exuit anguis

Saxa per, & rimas qui corpore lubricus exit,
Ac dulces quoniam lymphæ graviore premuntur
Neptuno ſaliunt, jamque irrequietus arenam
Sollicitare liquor viridi de vertice montis,
Atque fugam properat reſonanti carpere rivo.
Qualiter inverſi ſyphonis cornua diſpar
Hinc illinc ſi forte latex tenet, ille ſuperſtat
Mole ſub æquali gravitas quem ſegnior urget,
Atque ubi pugnantum crevit menſura liquorum,
Exceſſu majore levis micat altiùs humor.
Ergo pari ratione maris confinia quando
Ad caligantes fas eſt extendere manes,
Ac ſalium confertum agmen denſatur eundo,
Nubiferum Atlantem ſupra, riphæaque ſaxa
Quas premit Oceanus poterunt conſcendere lymphæ.
Sed cum non æquis tumulis humus ardua vaſtam
In ſphæram procurrat, amor quò ducit avitus
Inclinantur, & inſtabili pede quærere pronam
Quâ dant antra viam juga per declivia gaudent.
Montibus aſt ubi diſpoſitis longo ordine vallis
Interjecta jacet, fauceſque recludit amæno
Æquore, præcipites rivi ſocialibus undis
Concurrunt, rapidumque citi junguntur in amnem.
Sic pater Eridanus, ſic flavus Tibris, & Iſter
Par pelago flumen, ſic Rhenus crevit, & Hebrus,
Sic Tagus, & jaculi Rhodanus pernicior alis.
Incertos ſed enim quia ſe ſe lunat in arcus.
Clivorum radix a recto tramite paſſim
Flumina deflectunt, & longo errore docentur
Incurvum per iter ſinuare volumina, qualis
Implacido ſerpens lapſu revoluta per herbas
Obliquos latè campo decircinat orbes:
Lingua triſulca micat, lethalis conſcia tabi
Colla tument, oculo vulnus meditata protervo
Fertur, & attritos inceſtat livida flores.
Heu miſeras adeo meſſes, heu pinguia fruſtra

Jugera ſi qua patent inſanæ morſibus undæ!
Nam quibus accedit, jugi quatit ariete ripas
Indocilis revocare gradum, lacrimaſque coloni
Nil miſerata rapit cultos cum frugibus agros.
Tu memor oppoſitæ ſulcos in margine ripæ
Ingentes aperi, duro nec parce ligoni.
Dum macræ tenuantur aquæ, foveiſque volentes
Invita, priſcum fluvius ne deſerat alveum.
Proderit & fixis violentum frangere palis,
Fiſtucaque ſolum circumvallare frequenti,
Aut fætam lapidum cumulis opponere cratem
A mediis humilis quæ fluctibus ardua ſummo
Margine ſuccreſcat, nempe hoc umbone repulſus
Impetus adverſæ pulvinum rodet arenæ.
Populus, enodes ſalices, ornique comantes
Aggere frondenti vireant, radicibus imis
Implicitæ nectent pugnacia vincula terræ.
Principiis obſta, nummi diſpendia ſolers
Maturo auxilio redimes, & præcoce cura.
Sæpe tamen cęptos tempeſtas fœda labores
Ante expectatum glomeratis nutibus atro
Turbine diſiecit, piceo ruit æthere præceps
Agmen aquæ, mugire ſalum, reboare minaci
Correptum flamma cœlum, fremere alta revulſis
Arboribus nemora, implentur cava flumina, nec jam
Sufficiunt tumidis ripæ; de vertice montis
Aſpicit immiti raptari vortice paſtor
Attonitus dulceſque greges, dulceſque penates.
Ipſe Pater cæca merſas caligine terras
Horrendo quatit igne, feræ intremuere ſub antris,
Ac timidæ uberibus lactentia pignora matres
Arctiùs admovere, ille inſtat celſa flagranti
Urere nunc Oſsæ, nunc Æmi tergora telo;
Luctantur venti, & rauco ſonat imber ab axe.
Sæpe etiam brumæ ſi tempore longior auſter
Flatibus incubuit nativa ſede, teneri

In-

Infrænes fluvii detrectant, liquitur udis
Nix tepefacta notis, & ſtagna, lacuſque, paludeſque
Amnibus incrementa ferunt, ſubitaſque miniſtrant
Indomitis vires, at magno fervidus æſtu
Litora Neptunus texit, fluvioſque tridenti
Immiſſo repulit; tantos avertite motûs
Irarum o Superi. Non unquam infenſior Urbi
Exundant Tiberis, celliſque recondita Bacchi
Munera corrupit limo, atque innare phaſelos
Per loca trita rotis docuit nil clauſtra moratus,
Sacra licet, divûmque aras, nil templa prophanis
Contemerare vadis: truculento murmure tandem
Detumuit, ſed quaſſatas ſecum abſtulit ædes.
Una ſalus hyemem divertere. Tuſcia multum
Inducit campis Arnum, qui merſa quotannis
Arva luto reficit gaudentia ſurgere ſupra
Undantis rabiem: non illic tenuia putri
Paſcere rura fimo, nec opus jejunia ſulci
Solari cinere advecto, ſtipulaque peruſta:
Læta ſuperfuſo pingueſcit flumine tellus.
At quæ ſemper habet cervicibus impendentem,
Nec fugit Eridanum regio terno aggere primas
Vincentem ripas, terno circumvehit alveo.
Ille quidem tacita pacatus labitur unda,
Sed ſimul ac glauco ſubjectos lumine campos
Luſtravit titubans in palmite livet Iacchus,
Concuſſiſque Ceres procul impalleſcit ariſtis.
Ergo age ſi qua patet nec lætis utilis herbis,
Nec vini patiens, nec meſſi commoda vallis,
Huc ſævæ permitte hyemis deferveat ira.
In primis averte lacus, nam flumina raptim
Creſcere concepta lacuum quis neſciat unda?
Si prohiberis aquas avertere, divide plures
In ramos, minor eſt diviſo terror ab hoſte.
Tentabunt tamen illæ iterum coaleſcere; quippe
Finditur in calles ubi ſemita languidus amnis

Purgamenta luti, monteſque nocentis arenæ
Congerit, atque animi dubius quò tendat in ipſo
Limine lentus agit torpentibus otia limphis.
Præterea producta moram via nectit eunti,
Maturat correpta fugam, faſtidia longi
Concipit erroris paulatim hinc amnis, & arctat
Laxatos aditus, donec breviore volutus
Tramite decedat nimiis ambagibus alvei.
Idcirco dirimis bivio qui fluminis undas,
Labantur paribus ſpatiis utrinque caveto:
Ni facias operam ludas, nec tempore longo
Ardua ſejunctos diſcriminet inſula fluctus.
Nonne vides avulſa jugis ut maxima torrens
Saxa rapit, reſonumque cient colliſa fragorem?
Nec mora nec requies, donec crepitantibus omnis
Angulus atteritur læves abeunte figura
In ſphæras, circa lapides nam refluus humor
Supplevit gràphicos torni revolubilis Orbes:
Interea ramenta vehit ſecum unda, profundi
Salſaque regna maris numeroſis æquat arenis.
Nec deſunt teneri queis prima infantia mundi;
Atque ignota orbis quondam lactentis origo
A nondum penitus demerſis æquore terris
Luce micat dubia, ſuadetque ſimillima luci
Impar ſit quamvis maturo aurora diei.
Scilicet aereis a montibus imber, & altæ
Detrivere nives aliquid, quod rivus in amnem,
Amnis in oceanum nocteſque dieſque laborat
Convectare, mariſque recondita viſcera complet.
Ergo ſenex infinita trieteride mundus
Si foret, oppletæ valles, deleta jacerent
Subter aquas juga panda, ſolutum vinceret æquor
Ardua terrarum, circumfluus omnia gurges
Immani latè premeret concluſa baratro.
I nunc, & picturatis decoranda locato
Atria marmoribus, ſectoque Elephante ſuperba

Aut

Aut nivea pretioſa Paro, aut innixa Canopo
Extrue, queis fulgorem indo merceris ab auro;
Demens æquoreis qui non intelligis undis
Abſorbenda vel æthereus ſi parceret ignis!
  Ultimus abruptas labor eſt committere tuto
Ponte vias. Titubante ſuper trabe ruſtica pubes,
Cui caput apricis incoctum ſolibus, amnem
Trajcit, irridetque minas vertiginis expers;
At quâ Danubius ſaxoſum immurmurat, armos
Sive premas fumantis equi, ſive eſſeda jungas,
Plurima te longo deducet ſublica fulcro.
Illa quidem ſumma quantùm caput extulit unda,
Tantùm infixa ſubit peracuta cuſpide terram;
Sed novus hiberna vix compede liberat annus
Flumina vincta gelu, & queruli patientia plauſtri,
Jamque fides fert rupta quies, alnoſque revulſas,
Ociùs inſtauret ſolers niſi cura rebelli
Excuſſum cervice jugum, & nova mandere fræna
Invitas acri jubeat conamine limphas.
  Strata quid innexis memorem tabulata carinis,
Atrox æquorei cum luditur alea martis?
Quid trans attonitum Rhenum te maxime Cæſar,
Sublicioque tuas exceptas ponte cohortes?
Romanis aquilis plauſit Jovis armiger, & gens
Viſa triumphatum ſata marte per aera ferri.
  Non omnis ponti ſternendo commoda ripa eſt.
Elige quam recto delambant flumina lapſu,
Et quæ tranquillas latiſſima devehat undas.
Nam labefacta quatit tranſverſim fulcra recurvo
Si pede limpha fugit, ſi faucibus intercluſis
Anguſtatur iter, volucri velocior euro
Dejcit oppoſitas cohiberi neſcia moles.
Mox æquare ſolum, & laxæ telluris hiatûs
Tignis ad normam impactis ſolidare memento:
Quem fugiat, pede ſi quidquam fulcitur iniquo,
Non expectata everſum peccare ruina?

[library stamp]

Ilignas ſecto dein robore ſedulus arcas
Conſocia, raucùm ſtridens quas ergata, vel quas,
Non ſecus ac longo feſſas errore carinas,
Admordens ſpondam valido regat ancora dente.
Impiger huc cementa infer, calcemque maritet
Lectus Puteolis, gelido vel Tibure pulvis.
Jamque fatiſcente immodici vi ponderis unda
Procumbent pedetentim arcæ capita alta ferentes
Oppreſſi ſupra devictam fluminis iram;
Tum verò falcatæ Hecates imitantia vultum
Saxa advolve, cavoſque viam diffunde per arcus.
Sed quid longa dies, impacatique ſilenti
Non abolent anni morſu? Vos dicite priſca
Rudera vel ſic ingentem clamantia Romam,
Etruriam contra ſeu quâ ſtetit unus, & hoſti
Cum palma ſubduxit iter, ſeu quâ tulit amplis
Innexaſque comam ſertis, ſpoliiſque potitas
Celſa triumphalis pons ad Capitolia turmas.
Tu quoque funeſtæ crudelia ſigna ruinæ
O cui præclarum moles facit Ælia nomen
Pons afflicte dabas, ſed te tibi reddit avitam
Qui Romam Romæ Carolus cum fænore reddit.
Ælius inflexo nam poſtquam poplite ſupplex,
Teſtatuſque gravem ſponda inclinante ſenectam,
Principis imploravit opem, & quæ plurima fronti
Incumbunt, tendens quaſi brachia marmora movit;
Illicò Circæis Triton qui præſidet oris
Inflavit notam Tyrrhena per æquora concham,
Et Carolum inſonuit, Carolum cava litora circum
Ingeminant, Carolum ingeminant pleno agmine Nymphæ,
Alterniſque canunt ſociata ut dulcia ſalſis
Stagna vadis fuerint exciſi munere ductûs
Par opus Auguſti fortunæ, utque addita ponto
Clauſtra procelloſo, ut ſuffultæ molibus undæ,
Piſcatuque lacus aucti, Latiumque recluſum.
Tu pelago Cybelem ditas, Tu regna profundi

Am-

Amplificas, per Te Italiam penetramus amænis
Infuſæ terris, bis tinctum cærula Doris
Murice jam dudum tyrio Tibi nevit amictum.
Hæc ſimul ac lætas implerunt Principis aures,
Cura fuit Carolo reparandi credita pontis.
Nec mora conferto qualis ſtat in ordine miles,
Et lateri latus, atque pedi pes proximus hæret
Turris ahena velut, caſſo quam verbere adactus
Pertentans aries eluſo diſſilit ictu;
Cæſorum talis nemorum frondoſa propago,
Ornis juncta ſalix, fagis contermina quercus,
Sublimiſque abies, viduataque crinibus ilex,
Atque alni, atque ulmi, atque omnis promiſcua Silvæ
Copia denſata pontem cinxere corona.
Cum Tiberis: me ne incepto deſiſtere fæda
Irriſum turba capitum, ſervilia quorum
Crura ſonant infelicis per tranſtra triremis?
Hæc ubi laxatis interlucere phalangem
Quâ videt ordinibus dilutâ evertere cretâ
Aggreditur vallum: fruſtra nunc potat anhelas,
Epotas agitata vomit nunc antlia lymphas:
Exhauſtus redit, atque negat decreſcere fluctus.
Interea affixum ripis diſcrimina pugnæ
Spectat, &, ut ſemper, ſtudia in contraria ſciſſum
Vulgus abit: pars Hollandis a finibus optat
Artificem, cujus nomen famularis adoret
Tibris, vel cujus tollat ſuper æthera famam
Adriaci regina maris: pars cognita vulgat
Tanquam ſi tripodem, ſanctamque moveret Apollo
Cortinam: merſæ illudit pars amne Matheſi,
Atque Syracoſii doctas ſenis elevat artes:
Lingua eſt auxilio quam plurima, dextera nulla.
At Carolus bello intentus geminaverat agmen,
Quadrataſque trabes, quas multa cannabe duplex
Zona tegit, contra inſidias muniverat undæ.
Ecce autem ſubitis augetur ab imbribus amnis;

Abſorbetque ſudes, & aperto marte relictis
Fraudibus adverſum tumidus bacchatur in hoſtem.
Diriguere omnes, ſed non tua degener ora
Arguerit pallor, tua cedere neſcia virtus
Creſcit ab adverſis Carole, ac de fronte revelli
Indignata ſuas lauros in Prothea verſum
Exarmat Tiberim, ſubigit, contundit, inanes
Inſidias pariter victrix debellat, & iras.
Hos Deus heroas ſi Romæ indulgeat, illam
Terrarum dominam velit. Inter pocula nemo
Non fortis buccas inflare, & grandia verba
Magnanima reſonare tuba, ſed cum furit ardens
Gradivus, ſeſe virtus, & inertia profert.
Qualiter argolicæ cum nondum troica puppes
Litora contigerant nemo non fortis Atridas
Vincere, nec Paridem ſuperabat vocibus Hector;
Aſt ubi Dardaniam grajæ tenuere catervæ,
Fatalique minax Pelides cuſpide, viſus
Tunc Paris eſt Paris, & tunc Hectora prodidit Hector.

CAMILLUS COMES ZAMPIERIUS
Forocornelienſis

INTER ARCADES

ALCETAS ESENUS.

AD CAJETANUM ELEPHANTUTIUM
SAC. ROM. ROTÆ AUDITOREM.

ELEGIA.

Quod mihi tale nihil ſperanti, neve merenti,
Cajetane ſoli gloria piniferi,
Suades, egregiam nimirũ ut Martis ad Urbem,
Virida adhuc ætas dum ſinit, adveniam,

Id mihi per gratum eſt ; quis te ſuadente negaret ?
  Non etenim verbo frigidulo ac ſterili ,
Ut mos quorumdam , ſuades , aſt aſt opere ipſo ;
  Inque tuis iſtis ædibus hoſpitium
Dulce paras venienti ; ac ; ni fallor , quoque menſam ;
  Quamquam re eſt omni dulcius & melius
Illud amicitiæ cor plenum , & candidum , & amplum ;
  Quod patet ingenuo ſemper in ore tibi .
Sim lapis , aut ferrum ſi me non iſta moverent .
  Jam te jamque avido nunc ego cerno animo ,
Urbs antiqua potens priſcis regnata Latinis ,
  O Divum domus alta , & caput Imperii
Jam te cerno animo ; æterna Sol lampade terras
  Luſtrans nil toto majus in orbe videt .
Hic Diis Heroes prognati , hic maſcula crevit
  Virtus , quis tot nunc mi Æneadas memoret ?
Et Gracchi genus ? & geminos , duo fulmina belli ,
  Scipiadas cladem luctificam Libyæ ?
Fabriciumque potentem parvo ; animumque Catonis
  Atrocem : Druſoſque inſuper , & Fabios ?
Totque alio atque alio partos ex hoſte triumphos ?
  Quum capti Nomadum , Maſſagetumve duces
Pulvere fœdati , atque manus poſt terga revincti
  Nequicquam torvis ſidera luminibus
Spectantes , currum tumidi Victoris obirent .
  Ille autem feſti cum ſtrepitu populi
Alta triumphalem pompam ad Capitolia agebat ,
  Sacra ubi Tarpejo ſtat vetus Ara Jovi .
Poſtibus aptabat victor dona ampla ſuperbis ,
  Quæ de regnorum geſſerat exuviis
Argento atque auro gravia , ſectoque elephanto ;
  Et quantum concharum educat Oceanus ,
Gemmarum & quantum fert India ; bellica nempe
  Hic virtus poſuit quicquid ubique fuit .
Felix illa ætas ! quid felix ? munere cœli
  Non habet hæc veteri noſtra quod invideat .

Nunc

Nunc opus auxilio eſt muſarum, habilique furore;
Exoritur rerum nunc nova mi facies.
Adſis o antiquæ decor, o ſpes pulchra Ravennæ;
Dignaque romanis eloquar auriculis.
Numnam Tarpejæ (virgo probroſa) ſepulcrum
Ad tantum potuit tollere ſe decoris
Quanto nunc fulget? ſi fas eſt vera fateri,
Heu tum multorum non ſine cæde virum,
Non ſine ſingultu, & lacrimis, ſævaque rapina,
Quæ inſano quateret oppida victa pede,
Immenſi potuit cogi flos Orbis eodem.
At nunc magna Tibi gratia, magne Poli
Arbiter, atque Deo tam proxime LAMBERTINE;
Imperii non eſt ultima cura tui
Ut luce uſque nova Capitoli gloria præſens
Fulgeat, inque dies fulgeat uſque nova.
Nempe, quod ille ingens atque aſtris additus Heros,
Qui tenuit claves ante Te, & imperium,
Ille, inquam, Ille, animos ſummo qui æquavit Olympo,
CLEMENS Corſini ſanguinis altus honor,
Cujus in egregio virtutes Roma Nepote
Suſpicit, ac mentis robora magnanimæ,
Ergo quod Ille opus & meditator primus & auctor
Cœpit, ut antiquum perſtet in Urbe decus,
Perficis hoc tute ipſum, & perfecto addis honorem;
Et quodcumque operis prodeat eximii,
Quum nulli impenſæ parcas, ſervire libenter
Id juſſu omne tuo cernitur, & genio.
Seu ſtatuas referam græci monumenta laboris
Archetypa e fauſtis eruta ruderibus;
Seu priſcis illis tot cuſa numiſmata ſæclis,
Quorum aliqua impulſo vomere humum fodiens
Invenit interdum agricola, & miratus in Urbem
Defert, hæc rerum ſollicitus veterum
Venator propola uno quam mox rapit aſſe,
Vendere quæ magno poſtmodo ſcit pretio.

Seu

Seu latios inſcripta viros tot marmora, præbent
  Quæ faculam obſcuræ ſæpius hiſtoriæ;
Seu tot pro varia fictas ratione lucernas,
  Ac de Mentoreo plurima vaſa opere;
Præduru atque genus gemmarum hominumve, Deorumve
  Exculptum miris affabre imaginibus.
Quid meliora tamen mitto? tabulas, quibus olim
  Ars adeo in noſtra præſtitit Auſonia
Ommnimodo præſens imitari cuncta colore,
  Quæ nec Apelleis cedere temporibus
Eſt quicquam viſa; at multis volventibus annis
  (Proh ſcelus, ac miſeræ dedecus Italiæ!)
Summorum labor ille virum, divinaque virtus
  „ Uſque ad Hyperboreos, & mare Oceanum
Quantovis ibat pretio; teneat ſibi nummos
  Quotquot habet Tameſis, Viſtula quotquot habet.
Conſilio, curaque tua, ſanctiſſime Paſtor,
  Quodcumque ars potuit pingere ſplendidius
Omne aſſervatur nunc in penetralibus altis;
  Cumque arctet vaſtum copia multa locum,
Tentari ima jubes Tarpei viſcera latum
  Ædibus inde novis ſuppoſitura caput.
Nec ſatis hocce Tibi; quod adhuc non contigit ulli,
  Primorum aut æra, aut marmora Chriſtiadum
Colligere eſt labor, & monumenta educere in auras,
  Torpebant cæcis abdita quæ tenebris;
Utjam ubi Religio primam tenet inclyta Sedem
  Et ſua curari gaudeat hic ſtudia.
Sidera dent utinam Pylii tibi Neſtoris annos
  Explere ut magni cœpta queas animi.
Hæc & plura itidem, annuerint ſi fata, videre,
  Cajetane, avido pectore diſcupio.
Sed, tibi ne mea ſint ignota incommoda, dicam
  Quicquid me a facto hoc ſevocat, & cruciat.
Uxor amans luget: tun' me tun liquere ſolam?
  Inter biſſenos ſiccine filiolos?

Aſt

Aſt age ne, bona, lugeto; par ducere mecum
  Natorum cura eſt, propoſitumque mihi.
Hos patrocinio præclari & candidi Amici
  Fultos romulea deſeram in Urbe libens
Ut rectis animum ſtudiis [piæ Numina faxint]
  Et doctis poſſint artibus excolere.
Forſitan hos domus inclinata recumbet in unos;
  Atque auctos aliquo denique honore videns
Tu læta excipies reduces, atque oſcula figes
  Permiſcens teneris gaudia lacrimulis.
Sic egomet Matrem ſolari conor amantem.
  Sed Tu præſidium dulce, decuſque meum,
Per ſiqua eſt pietas animo tibi juncta ſagaci,
  Perque illud ſanctæ fædus amicitiæ,
Ne noſtri, rogo, te capiant oblivia voti,
  Sub curarum alto pondere nobilium.
Otioli ſi quid dederit Rota magna opulentum
  Sueta hominum lites volvere multigenas,
Quæque tibi meritos fructus, haud fallor, honoris
  Paullatim [o cito lux emicet illa] parat.
Qualis pomifero quum pulchra adolevit in horto
  Arbos ingenui deliciæ domini
Proferat ut gratos Autumni tempore fructus
  Phæbus humum radio lene tepefaciens
Humorem imum agitat radicibus interpoſtum,
  Qui factus ſubito purior ac levior,
Aere non minimum externo gravitante, per omnes
  Aſcendit fibras, inde per utriculos
Corticis inverſo deſcendens ordine totum
  Paullatim corpus permeat arboreum,
Atque ita ſe ſe diſtribuens erumpit, & illam
  Quam textura figuram exhibet, ipſe capit.
Pomorum innumera felix ſobole enitet arbor,
  Pertentant tacitum gaudia pectus hero.

CUM

CUM LUDI OLYMPIACI AGERENTUR

ELEGIA.

Multas per gentes, & multa per Appennini
  Saxa; Viatori maximus uſque labor,
Quandoquidem aerium aut opus eſt conſcendere montē,
  De prona aut trepidum mittere rupe pedem,
Advenio has doctas, quas ipſa indicere duxit,
  Arcadia, o Vatum Mater, ad Inferias.
Expectant clari cineres ea præmia laudum,'
  Præmia, nec fallor, grata futura magis,
Quam lactis quam Mæonii carcheſia Bacchi
  Annua jam caris ſueta dari tumulis.
Salvete Hæroes, quorum, dum vita manebat,
  Cantu Parraſium geſtiit omne nemus,
„ Vos ego ſæpe meo vos carmine compellabo.
  Quamquam (ſanctarum Numina Caſtalidum
Adjuro) aut me inſania ludit amabilis, aut vos
  Hiſce meis certum eſt cernere nunc oculis.
Nempe datur vobis ſuperas evadere ad auras
  Et Tegeæ almis cœtibus Arcadiæ
Immiſceri iterum, notoſque reviſere fontes
  Qua ſacrum late Mænalon umbra tegit,
Solemnes hodie paſtor Myræus honores
  Claris Paſtorum manibus inſtituit;
Ceu poſt Eleæ certamina quinque Paleſtræ,
  Flos in qua Populi luſit Erichtonii,
Victor honorata laſſo in ſudore corona
  Velatus flavas dicitur iſſe comas;
Haud aliter Vati ſua cuique eſt danda merenti
  Multo illa veteri pulchrior & melior;
Quam non grata Jovi quercus, non Cypridi myrtus,
  Non Pandioniæ mitis oliva Deæ;
Carmina ſed puro nectent quam plena lepore,
  Seraque non unquam ſæcula diſſolvent.

Er-

Ergo agite, o Muſæ; tres lecti de agmine magno
  Mi feriunt notis lumina imaginibus.
Agnoſco afflatos Phebæo numine vultus;
  Agnoſco Patriæ vim, geniumque meæ.
En Thirſis; bone Thirſi, fave; tua Carmina quando
  Quando iterum dilecta audiet Arcadia?
Carmina quæ veneres dictabant ore puſillo,
  Quæque ſuis digitis ſcribere ſuevit Amor.
Heroas ſeu, ſeu velles cantare puellas,
  Seu Paſtor Paſtorum ſtudia atque greges,
Mille jocos faciles vota in tua ſemper habebas,
  Dicendi & formas mille Poeta novas.
Cur tua tam ſubito ſiluit lyra? quam tuus ille
  Tangere deberet filius ille tuus,
Tyrſillus, ſi alacri ingenio foret æqua voluntas;
  Sed longo inter opes diffluit otiolo.
Naxius eſt prope Cleogenes, quem Romula tellus
  Obſtupuit geminæ dulce melos Cytharæ
Umbroſo in nemore Arcadiæ mira arte cientem.
  Quale olim Vatem concinuiſſe ferunt
Pelignum gelidis ſcythiæ dum flebat in oris
  Se longe cara vivere ab Italia,
Et terras miſer & maria omnia teſtabatur,
  Poſſet ut offenſi flectier ira Dei;
Quale itidem Thuſci nunc propter Thybridis undas
  Cycnorum aſſidue candida turba canit.
Anne ego Te tacitum hos inter, Darene, relinquam?
  Ut te, cognato ſanguine juncte mihi,
Accipio agnoſcoque libens! ut verba magiſtri,
  Et vox, & vultus continuo ſubeunt!
Nam nemini Aonium cupido perrepere montem
  Te exiguam & rudem adhuc compoſuiſſe lyram
Quæ ſtudio aucta meo, fidibuſque inſtructa ſonoris,
  Auſa eſt Heroum poſtmodo facta ſequi.
Tu lepidos inter non ultimus ipſe poetas,
  Per quos Corneli perſonat uſque Forum,

Thyr-

Thyrſida nunc magnum complectere Cleogenemque ,
  Et parvum hoc munus ſumite ab Arcadia ,
Quæ majora olim poterat forſan dare vobis ;
  Nam (ſi vera canunt) multo ea pluris erat
Quum primum Muſis unà plaudentibus orta eſt ,
  Nominis & cepit ſurgere fama ſui .
Tempeſtate illa ſummus Pater arva tenebat
  Eois notus , notus & Hiſperiis
ALNANUS ; proprii non illi cura peculi
  Sed ſæpe obductam ſordibus , ac miſeram
Virtutem erigere , & ſudori præmia docto
  Ponere ſanctum illi perpetuumque fuit .
Ille Deùm poſtquam accepit ſuper æthera vitam
  Non ſeſe terris eripuit penitus ;
Quippe ſuis totum hoc ſtudii geniique reliquit .
  Mentior ? at teſtem Te mihi Roma , volo .
Sæva nimis propere POLIARCHUM fata tulerunt ;
  Jactura oh quanti (Juppiter) una fuit !
Tu ſuperes , CRISALGE , tamen , tua fervida virtus
  Difficile ac durum nil ſinit eſſe tibi .
Quos circumſpecto ſemel es complexus amore
  Tela per atque ignes , quo releventur habent .
Magnificæ indicium mentis pulcherrima ſplendet
  Villa ſuburbanis condita deliciis .
Porticus hanc decorat centum ſuffulta columnis
  Undique Romanum viſa referre decus ;
Quam dum forte errans Pompeii cerneret umbra
  Obſtupuit dicens : & mea talis erat .
Sanguinis hæc veſtri eſt via , quam florentibus annis
  Jam tenet ipſe etiam vellere purpureo
Obtectus tenet ipſe ALCINDIUS . Aureus illi
  Qui morum tenor eſt ! quæ integritas Animi
Ingeniumque acre , & magnis ſolertia rebus !
  Cui nuper geminos nempe ego filiolos
Obtuli aduc teneros fidens penituſque dicavi ,
  Ut ſibi dilecto poneret in numero .

Qua-

Qualis ubi nidum philomelæ frondea vidit
  Septa inter, pullos ſurripit agricola,
Donaque fert dominæ; ſpe cantus ducta futuri
  Sollicita implumes educat ipſa manu,
Et primos audire ſonos, & creſcere pennas,
  Et quodcumque cupit, jam ſibi fingit amor.
Talis ego, verbis ſed quid modo pluribus utor?
  Si oblato adfuerint Numina præſidio,
Arcades hac olim dicent me prole beatum;
  Creſcet Parrhaſiis collibus alter honor.

DIſpeream, ſi non doleo vere, & gemo noſtris
  Heu heu te ereptam, blanda puella, oculis.
Et quum infixa animo maneas mihi, diſpeream, ſi
  Non ideo hoc ipſum plus doleo, atque gemo.
An dabitur nobis gemere uſque atque uſque dolere?
  Nec jus, nec pietas hoc tua perpetitur.
Quare utrum vis, immo utrum potes effice; vel te
  Reſtituas oculis, vel rapias animo.

NOn (ita me Dii ament) unum olim poſſe putabam
  Abſque illo miſero vivere amore diem.
Abſtulerat tantus mihi me error, perdita tantum
  Mens animi, ut proprium diligerem exitium.
Cumque ope divina abſterſum mihi faſcinū id omne eſt,
  Cor viſum eſt pene avellier, atque anima.
Indolui, fremitumque dedi, penituſque ululavi;
  Ictu ceu quondam ſaucia mortifero
Bellua Getulum nemus altis quæſtubus implet;
  Paſtor noto antro ſe occulit, & metuit.
Tandem ut convalui, videor mihi redditus ipſi,
  Nec ſpes nec timor eſt mi ſuper, aut domina.
Lætos dein cœpi, quod me poſſe ante negabam,
  Abſque illo miſero vivere amore dies.

Quæ-

QUærenti mihi quid ſit Amor reſpondet amantum
 Turba: deus, deus eſt, immo deùm domitor.
Qui nec amant, nec amare queunt, duri atque piloſi
 Reſpondent contra: maxima ſtultitia eſt.
Dic, anime, utrum credas, aut utrum experiare.
 Ardua res æquum promere judicium.
Stultitia eſt mera Amoris vim, imperiumque negare;
 Dedere ſe ſe illi eſt altera ſtultitia.

CArmina qui legit hæc, ſi quis me credit amaſſe,
 Humanam credit rem ſimul, ac facilem.
Sed non ſemper idem eſt canere atq;alere intus Amorem.
 Sævus Amor lepido ſervit & ingenio.

PETRUS ANTONIUS PETRINIUS Præneſtinus

INTER ARCADES

ARBACES TESMIANUS.

AD PUELLAM.

SI flavos meditor tuos capillos
 Mellitos oculos, ſuave labrum,
 Dico te Veneri parem, Puella:
Si dulciſſima verba delicata
Contemplo, eloquiumque gratioſum
Parem te voco Palladi, Puella:
Si regale animi decuſque frontis
Cerno, quo rutilans venuſta fulges
Junoni puto te parem, Puella.
Si verò rigidam penetro qualem
Mentem in pectore ferreo recondis,
Quo noſtrum renuis ſevere Amorem,

Quo ſpernis tenerum Cruenta Amorem,
Nego te Veneri, nego Minervæ
Junoni nego te parem, Puella.

AD NOVUM COMETEM.

O Tu, quæ liquidum comata Cælum
Incedis nitidè, novumque ad auras
Fulgorem, ſpecioſa Stella, fundis
Dic tandèm precor, heu precor, precorque;
Aſtra quippe alia hactenus maligna
Neglexere precem meam aure ſurda,
Dic heu, dic mihi, Blanda, dic amabo,
Longos poſt gemitus, reoſque fletus,
Poſt ſuſpiria multa, poſt dolores
Felix adveniet dies benigna,
Quâ tandem, poſito furore, lenis
Noſtrum percipiet Puella amorem,
Noſtro mitis erit Puella amori:
Dic heu, non ego quippe, cum coruſcos
Per Cælum radios Venuſta pandis,
Dixi unquàm madidos cruore crines
Tuos ſanguinolenta bella Regnis,
Extremum exitium Urbibus minari;
Stellam nàm reor, & quidem perennem
Eſſe, quæ vario ambulans in Orbe
Deſcendis recreare ſæpe noſtros
Aſpectus peregrino honore lucis.
Dic ergò mihi blanda, dic amabo
Noſtrum percipiet Puella Amorem
Noſtro mitis erit Puella amori:
Dic lenis, rogo, dic mihi.... ſed & tu
Taces? accipio: Futura qualis
Sors heu! me miſerum, manet latet vos,
Fatum quippè meum nimis ſevera
Sua mente ferox Puella tractat.

IN

IN PROCRIN HENDECASYLLABI.

TOta es candida tota pulchra Procri
Dulciter numeros cies canoros
Jucundè lepidis vacas choreis
Rides nectareis honeſta labris
Odoras rutilo decora crine
Nites purpureis tenella malis
Tota es candida, tota pulcra Procri.
Vis verum tamen eloquar? nec ore
Pulchro, nec comula ſuaveolenti
Nec bello pede, nec rubris labellis,
Nec leporibus omnibus venuſtis,
Quos habes habuiſti habebis unquam
Fiet te potuiſſe noſtra quantum
Ictu flammeoli Puella ocelli.

Ad calamum, quo diù uſus eſt Polimedon in ſcribendis carminibus.

O Tu, quæ volucris paternæ ab ala
Scriptoris digitos ſubire doctos
Veniſti generoſa penna, & annos
Plures nunc numeroſa, nunc tenella,
Semper attamen optima & venuſta,
Vatis Carmina blanda ſcriptitaſti,
Vatis melliflui mei ſodalis:
Gaude oh Gaude tuo labore donec
Vivent Carmina tàm decora, donec
Vivet gloria tam boni Poetæ,
Durabit decus & tuum perenne:
Donec nectareos ſacri Hippocrenis
Guſtabit latices, futura laudes
Tibi progenies dabit Nepotum.

Te, cum dulciculos legent lepores
Puelli nitidi, puellulæque,
Dicent candiduli eſſe pennam Oloris,
Cujus ſe, tenero flagrans amore,
Libravit ſuperſim parens in alis.
Te te cum lyrici furoris auſus
Perlegent homines peritiores,
Pennam Pegaſei eſſe prædicabunt
Raptam quadrupedis volanti ab armo,
Te cum verſiculos legent tenellos,
Te cum carmina perlegent ſonora
Vates dulciſoni, graves Poetæ,
Graves, dulciſoni colent Poetæ.
Gaude læta, tuo labore gaude
Donec Carmina tàm venuſta vivent,
Vivet Gloria tàm boni Poetæ,
Plaudet Progenies tibi Nepotum,
Tibi Progenies futura plaudet.

AD VIOLAM HIBERNAM SPONSÆ MISSAM.

O Felix viola, omnium benigna
Quam Mater peperit, ſuoque tanto
Nutrivit ſtudio horridos vel inter
Rigores Hiemis, geluque durum,
Conſultò ut genitam fuiſſe credam
Ornare ingenuæ ſinum Puellæ,
Perge ad ingenuæ ſinum Puellæ
Quæ modò ominibus petit ſecundis
Primo flore Juventæ Hymenis aras:
Te, quæ purpureo micas colore,
Te, quæ virgineo rubes pudore
Ornare ingenuam decet puellam
Cui ſanctus Pudor igneo colore
Tingit ora genaſque delicatas
Dum petit modo Sacri Himenis aras.

Per-

Perge, o Viola omnium venuſta,
Perge ad ingenuæ ſinum Puellæ,
Puellæ ingenuæ omnium venuſtæ.

Hygino P. A. de Planetis Carmen recitanti in Arcadum Conventu cum ejus adeſſet Uxor.

EXTEMPORANEUM.

Astra, quæ numeris refers canoris
Uxor lucidulis refert Ocellis.

AD PERILLAM.

Doctas pingere acu manus eburnas
Et Jovis memorant habere natam:
Aptum compoſitis pedem choreis
Movere auricomas canunt Napęas:
Ludentes leviter per ora crines
Junoni ſacra præbuit Vetuſtas:
Dulci nectare turgidum labellum
Vates Idaliæ dedere Divæ:
At illos nitidos nigros ocellos
Dulcitudine languidos ſuavi
Illos lucidulos Perillæ ocellos
Quænam, dicite, quænam habet Dearum?

IN FUNERE THYRSIDIS LEUCASII P. A.

NÆNIA.

Tyrſis occidit, occidere ſecum
Joci, Argutiolæ, Sales, Lepores:
Dolete, o Dryades, dolete, Nymphæ.

Tyrſis occidit, occidere ſecum
Virùm Deliciæ, & Puellularum:
Dolete, o Juvenes, Puellulæque.
Tyrſis occidit, occidere ſecum
Carmina ambroſio liquata melle:
Dolete heu! gemite Arcades Camænæ.

FABULA.

UTerque domini prægravatus ſarcinis
Pergebat una mulus, & Equus via
Mulus cum decoratum videret ſe novo
Ornatu Celſa cervice eminens ibat
Graviſque lata circum tempora pendulos
Lemniſcos quatiens huc illuc coloratos
Jactabat alto collo tintinabulum,
Dicebatque, oh quantum invidet, credo, mihi
Equus, qui ruſticis vetuſtioribus
Phaleris maleornatus tacito incedit gradu!
Talia blaterabat adulterinus Quadrupes
Cum ſentiens ſocius acrem arrogantiam,
Tumentemque eligens deprimere beſtiam,
Acceſſit comiter, & fidele ceu dare
Conſilium vellet, hæc ei loqutus eſt:
Amice, deprime caput: emicant aures.

FABULA.

NAturæ cupiens arte turpitudinem
Sarcire tibiam diſcere ſtatuit iners
Aſellus & in lepido tantam dedit operam
Studio progreſſus optans, ut quotidie
Dum ſarcinis poſitis ſubibat veſpere
Caulam palæſtra ſe exerceret in nova
Cum verò quadam cogitans die ſatis
Sibi jam profeciſſe videretur, improbus

Fa-

Factus: quid infames clitellas? quid magis
Patior hoc turpi macerari in ſtabulo
Ignotus omnibus? quid nemus adire moror
Me ubi meis captæ leporibus regem
Feræ omnes una voce clamabunt ſuum:
Sic equidem, ſic juvat: hæc ait & patrio
Præſepe relicto ſublimia ſibi fingens
Intravit in nemus indomiti quando lupi
Cives veteris Silvæ irruere & improbum
Dilaceraverunt regna meditantem nova
Qui moriens, meritò ait, merito plector, quia
Tibicen optavi fieri, cum aſinus eſſem.

BENEDICTUS STAY
Raguſinus

INTER ARCADES

ARETAS EPIDAURENSIS.

Excerpta quædam ex ejus Poemate Philoſophico.

PRincipio globus hic, Tellurem quem vocitamus,
Et maria, & terras ingenti amplectitur orbe.
Qua tamen in terras ſpatiis extenditur amplis,
In partes multi ſciſſum voluere quaternas;
Nos unam incolimus, quæ nunc vetus Orbis habetur;
Quandoquidem priſcis fuit haud incognita ſæclis.
Altera Terrài pars eſt America, ſuumque
Nomen ab Etruſco retulit modo cognita Tiphy.
Laudamus veterem grajo ſub Jaſone pubem,
Quam freta tentantem prius uſquè impervia puppis
Tranſtulit Argolica de terra ad Colchidos oras,
Deinde viæ pretium referentem velleris aurum:

Majus opus nuper tentatum audivimus ipſi,
Tanto majus opus, quantùm noſtra æquora vincit
Oceani pelagus; tanto præclarius, ingens
Quantùm America ſuis cum regnis omnibus, atque
Omni auro pretium hoc excedit velleris aureum.
Tertia pergelidæ pars terræ ſubjacet Urſæ:
Ultimaque Arctoæ contraria nomen ab Auſtro
Sortita eſt: nobis ſed vix nota utraque propter
Æternas hyemes, ventorumque invia regna.
Qua latè in Boreas America extenditur oras,
Apparet Canadum tellus, & Virginiai,
Florida, Mexicaque ora, novumque Hiſpania nomen,
Atque aliæ, atque aliæ ſic cultu ut nomine gentes
Regna tenent: dives ſtat Caliphornia ponto
Inſula: non eſt & reliquas ut dicere poſt hanc
Jam morer; illa tibi par regnis grandibus extat.
Parte alia oppoſitum Boreæ qua vergit in Auſtrum,
Aurea Caſtellæ regio eſt, Guianaque latè
Porrigitur; non ulla ferax magis altera tellus
Auro, atque argento; fert omnigenos animantes;
Oppida habet, magniſque extructas molibus urbes.
Adde his Braſiliam, Chilòs quoquè, Peruviumque.
Ingentes multique lacus, & ditibus undis
Flumina opima rigant horum ſpatia ampla locorum.
Dehinc oculos & ad hanc noſtræ, quæ dicitur Orbis
Eſſe vetus, terræ partem circumfer; & Afros,
Europæque, Aſiæque immania regna recenſe.
Prima hominum ſedes, atque altrix prima fuiſſe
Fertur terra ferax Aſiæ: his prægrandibus oris,
His populis Reges magni, rerumque Potentes
Imperitant. Vaſtis regionibus Othmanidarum
Imperium anguſto ſpatiatur ab Helleſponto.
Quot gentes, quot regna tenet! tum Perſidis ingens
Excipit hoc ditio: hinc Indi, Sereſque, Scythæque,
Extremique Aſiæ Sinæ, gens invia montes
Propter inacceſſos, murique crepidine junctos.

Afri-

Africa deindè ſubit nigro continſta colore ;
Vaſta quidem tellus, ſed non ita culta, videtur
Quæ regione ſui media deſerta propè eſſe.
Namque ibi arenoſi montes, campique feruntur
Inſtabiles, & ſæcla tenent inviſa ferarum.
Nilus eam pluvia, & cœleſti humore carentem
Abluit exundans, & largo flumine ditat.
Hic eſt fertilis Ægyptus, Nomadeſque vagantes,
Et Mauri, & Numidæ, ſunt hic Garamantes, & ora
Exuſti Æthiopes, Nubiæque calentia regna:
Multaque præterea populorum nomina, multæ
Regnantum latè ditiones. Ultima reſtat
Europa, a Tyria tenuit quæ Virgine nomen.
Hanc Jove cornigero, dum littore luderet inter
Æquales ætate ſimul florente puellas,
Deceptam memorant Vates, veſtamque per æquor
In Cretam: trepidans ex æquore reſpiciebat,
Æquore dum Tauri tergo veheretur amantis,
Littus reſpiciebat, eoque in littore pubem
Tendentemque manus, iterumque, iterumque vocantem,
Pulchraque plus lacrymis quam fluſtibus ora rigabat
A magno nuptam ſe ferri ignara Tonante.
Virginis hujus habet nomen, quæ dicitur Orbis
Tertia pars veteris, longè minima inter utramque
Et Libyæ, atque Aſiæ partem; ſed enim magis illis
Nobilitata, ſuperque alias florentior omnes.
Atque ea Parrhaſiæ qua latè ſubjacet Urſæ,
Moſcorum imperium compleſtitur, hiſque propinquos
Suecoſque, Danoſque, & quorum nomina verſu
Claudere Muſa vetat, Boreæque, & frigoris ejus
Indigenas; nec non illa tellure Britannos
Avulſos paulùm, & munitos æquore circùm.
Pars alia Europæ, qua ſe convertit ad Auſtrum,
Cum regnis te vaſta tuis Hiſpania, pulchramque
Italiæ pariter tellurem, Pannoniamque,
Et Miſûm, & Thracum, & Grajorum continet arva.

At

At medium tenuere locum Germania, Lechi
Cum regnis latè campeſtribus, & ditiones
Gallorum, quos a Pyrenes montibus illinc,
Alpibus hinc clauſos tellus alit alma feraxque.
Demùm quod ſupereſt, magnum mare, circuit omnem
Quod terram, Oceani vocitamus nomine; at illud
Pro regione loci varia, quem perluit undis,
Nomina ſortitum eſt pariter variantia; quippè
Æquor Atlantæum tibi Mauri à vertice montis
Nomen habet, quoniam radices montis ad ejus
Franguntur fluctus: Americæ ad littora Iberis
Longè a littoribus pelagi hic extenditur æſtus.
Æquor Hyperboreum, contràque Auſtrale vocamus,
Terrarum quod eas perfundit fluctibus oras.
At mare Pacificum jacet inter littus Eoum,
Occiduaſque plagas Americæ: æſtumque vocamus
Prætereà Medium, libycas qui volvit arenas,
Europæque, Aſiæque allabens exedit oras.
Deindè quid Hyrcani, Rubrique tibi æquora ponti,
Euxinum, Adriacumque, minoraque nomina dicam?
Quid freta, Boſphorias fauces, ſyrteſque, ſinuſque
Commemorem? doctis hæc tutemet omnia quibis
Diſcere de Tabulis. Sine me nunc otia feſſum
Captare, atque iſtas paulùm dimittere Muſas.

HIc Patriæ me caſus & horrida fata meorum,
Quæque hic quondàm uno pariter cecidere ſub ictu
Millia multa, movent, animoque horreſcere cogunt;
Prorſus & oblitum cauſarum excedere certos
Carminis impellunt fines, ultròque dolori
Indulgere meo paulùm, cinerique meorum;
Dum, pueris toties quæ noſtri cumque ſolebant
Cum lacrymis cum ſingultu memorare Parentes
Quondam viſa, libens repeto, atque audita revolvo.
Cernitis everſas, dicebant, undique moles,
O Pueri, disjecta ſolo, congeſtaque paſſim

Sa-

Saxorum in cumulum tot quondam ingentia tecta
Cernitis ? en Urbis quondam cognoſcite veſtræ
Immanem diro proſtratæ turbine caſum ;
Et ſuper his paulùm juvet illacrymare ruinis .
Heu Patria , heu quondam Nutrix infauſta tuorum ?
Non erat Illyricis florentior omnibus oris
Urbs alia , aut opibus tantùm famaque vigebat ;
Ubertaſque ſoli , multæque frequentia gentis ,
Nobilitaſque Virum , atque omnes ſervata per annos
Libertas , cœlo tollebant , fortibus armis
Naturaque loci , murorumque obiice circùm
Defenſam a validis vicini incurſibus hoſtis .
Tot rebus Fortuna bonis invidit , & uno eſt
Conata excidio res vertere funditùs omnes .
Tempus erat , vernis quo primas floribus herbas
Pingebat Natura , diemque ferebat ad Arcton ;
Jamque ea lux aderat , caſum qua Fata parabant :
Horrentes cœlum nebulæ tegere undique viſæ ,
Imber vicina tenuis de nube pluebat ,
Æquoris inſueto ſubſederat unda receſſu ;
Præterea auditi gemitus ſunt edere magnos
Montes , atque cavis altè mugire cavernis .
Ecce tremit moto ſubſultans cardine tellus ;
Nec mora , deficiente ſolo , jam prodita peſſum
Labitur omnis , & immani reſoluta ruina
Urbs ima conſedit humo : ſe pulveris ingens
Protinus in cœlum nubes agit , atraque lucem
Involvit , noctemque refert . Quæ in turbine tanto
Mens animuſque fuit , rerum in vertigine tanta
Deprehenſis ? iterum Tellus concuſſa videtur
Jam trepidare,[animum quoquè nunc ità concutit horror]
Sub pedibuſque labare ſolum , ruere ardua tecta
In caput : illa fuit quæ mens , cum ſaxa domorum
Alta ſolutarum pluerent ſuper , imaque tellus
Hiſceret , obrueret fragor aures , lumina caligo ,
Effugiumque malo ſeptis urgente ruinæ

Ob-

Obſtruerent? Mentem præſens vis ipſa perîcli
Subdidit hanc miſeris, jamjam omnia victa fragore
Succidere horriſono, terram, mare, ſydera verti.
Corripuit ſtupor altus, & omnes abſtulit unà,
Sopivitque animi ſenſus formidine tanta,
Ut, quod in adverſis fit rebus, tollere palmas
Scilicet in cœlum, Superoſque expoſcere pacem,
Nos neque poſſemus noſtri meminiſſe, neque ullas
Aut oculis lacrymas, aut pectore fundere vota.
At neque, ſancta Deûm ſi templa fuiſſet adire
Mens nobis, tali in fortuna ut debuit eſſe,
Uſquam inventa forent totam quæſita per Urbem;
Omnia namque ſolo miſerè proſtrata jacebant
Omnia Templa, Theatra, Lares, & publica tecta
Undique præcipitata immani everſa ruina.
Ante alia illud in his miſerandum magnopere unum
Rebus erat, multis plenam modo millibus Urbem
Vidiſſe, & populo ferventia ſtrata viarum,
Urbis poſt lacerum ſimularum, & nomen inane
Aſpicere, & cæcis quod jam ſerpentia ſæcla
Incolerent, ſæcla & volucrum nocturna latebris.
At quid, pro ſuperi! tanta de gente, quid illo
Factum eſt de populo? ſtrata jacet Urbe ſepultus
Scilicet, atque animas lapidum ſub mole, ſub ipſis
Exhalat tumulis: tantùm reſonare querelæ
Undique, confuſus ferri ſuper æthera clamor.
Quis memoret tantas tam parvo in tempore cædes?
Præcipites Dominos tota cum gente Penates
Contextere, ſuos everſaque Curia Patres
Incubuit ſuper, & gentem quoque templa Virorum
Sacrificam ſubita tumularunt verſa ruina;
Obtritumque viis circum omnibus undique vulgus
Emoriebatur; nullo diſcrimine lethi
Corporaque ægra Senum, Juvenumque valentia, ſexus
Fæmineus, meliorque Virûm, imbelleſquæ Puellæ,
Et pueri infanda correpti morte peribant.

At

At nos reliquiæ Fatorum, & cladis acerbæ
Quidnam agere? amiſſis rebus, Patriaque, ſuiſque
Merentes alii Divos expoſcere mortem
Certabant; alii contra non vulneris ictu
Expertes tamen huc atque illuc vociferantes,
Vitai nimium cupidi, mortem fugitabant,
Et terram effuſo ſignabant ſanguinis imbre:
Interdum tamen a tergo velocior inſtans
Mors veniebat ob exhauſtas vel denique vires,
Vel quia murorum deprenſos deſuper ingens
Mactabat caſus: nonnulli membra trahentes
Poſt ſeſe lacera, & laniatos ictibus artus
Reptabant per ſaxa, ſuoſque in opem vocitabant;
Demum opis expertes, deſerti, ut bucera ſæcla,
Triſtem exhalantes animam inter ſaxa cadebant.
Qui fuerant autem juvenili robore freti
Viribus intactis, & amor pietaſque ſuorum
Queis meſtum deſiderio cor fixerat acri,
Ibant huc illuc, evolvebantque ruinas,
Et collapſarum certabant ſaxa domorum
Eruere, amiſſam Prolem, ſeniumque Parentum
Cum gemitu, & lacrymis, & luctiſono ululatu
Quærentes ſub eis, iterumque iterumque vocantes.
Flamma vorax totam dein ingens orta per Urbem
A conſanguineis disjunxit denique mæſtos
Corporibus, ſanctoque ingrâtis, pro fera fata!
Vulſit ab officio. Noſtris hoc denique deerat
Ærumnis; ipſum Urbis uti quoque conficeretur
Triſte cadaver, & in miſerat quoque dira ruinas
Sæviret Fortuna: cremantur corpora paſſim
Exanimum, & pariter viventum: namque ſub ipſis
Lapſi qui domibus vitarant funera lethi,
Sub Tignis, ſub Fornicibus, ſub pariete fracto
Subque cavis circum occluſi, obſtructique ruinis;
Poſterius tamen hos lethi vis corripiebat
Sævior, heu! vivos diſſolvens ignibus artus.

Ar-

Ardebant, collapſa licet, tamen aurea tecta,
Aurataeque trabes, veterum monumenta Parentum;
Templorum decora, atque antiquæ inſignia gentis.
Quin etiam lapides flamma liquefacta per ipſos
Auri, atqne argenti vis ingens, divitiæque
Manabant rivis ferventibus, atque fluebant
Latronum in prædam; nam protinus undique lapſi
Illi vicinis e montibus adveniebant,
Et collecta domum ſpolia ampla impune ferebant.
Denique in excidio tanto, infandaque ruina,
Queis ſuperare datum eſt, alias pars quærere terras
Exilio; pars ingenti telluris amore
Commoti campis habitare patentibus Urbem
Juxta, & ſtramineos, paſtorum ut turba, penates
Incolere: e ſaxis fugiebant namque domorum
Edita tecta, metum propter, quia crebra tremores
Mugituſque ſuos repetebat Terra minaces
Ex imo: donec non longo tempore ab ipſis
Surgeret Urbs, Urbiſque prior Fortuna ruinis.

HENRICUS NEWTON
Anglus

INTER ARCADES

ARGESTES MELICHIUS

IN VILLAM IMPERATORIS HADRIANI TYBURE

EPIGRAMMA.

Templa, Theatra, Hoſpes, Circumq; & Balnea ſpectas;
Delicias Hominum, deliciaſque Deùm!
Hic quoque ut in mediis Academia ſurgit Athænis;
Et renovat veterem Porticus ampla ſtoam.

At

At murus ſoles, umbram partitur & æquus;
Utque velis totus, prætcritusque dies.
Culmina quam valde ſplendent diſtincta figuris,
Et ſervant Genios jam quoque læta ſuos!
Sed nova ſub terris pandit miracula moles,
Junonis formâ dum ſibi plaudit Ales.
Singula cur numeras? oculis ſubjecta recenſes,
Quidquid opum Romæ, quidquid & artis erat
Ingenio Cæſar mundum complexus, & ore,
Intra tecta videt quidquid ubique placet.
Sed quæ miraris Villæ ſunt Rudera tantùm;
Paucula quin ſuperant. Plurima terra tegit.
Qualis Roma fuit, Romam quæſiveris extra;
Unius atque Domus ſola ruina docet.

IN VALLEM VMBROSAM HETRVSCORVM.

VAlles perpetuę, virides atque arbore montes;
Lenè & labentis murmura ſubter aquæ:
At ſeſſis vivo paſſimque ſilentia ſaxo,
Quæque valent primas antra referre domos:
Exarmatque canem qua blandior aura furentem,
Iras manſuetus dedidicitque Leo.
Excipitis fugientem Aulæque, æſtuſque calores,
Nocte datis ſomnos, & ſine lite dies,
Cedat & ex oculis paulùm Florentia noſtris,
Quæque mihi, & muſis ſemper amica cohors.
Omnia viſa prius ſordent; juvat ire per alta;
Et cœlo atque animo liberiore frui.
Nunc Natura patet, nobiſque vacare licebit;
Quæ ſuperi & poſcant noſcere; nota ſequi.
Nec deerunt comites, neque ſunt vel inhoſpita ſaxa;
Moribus & ruris non niſi nomen ineſt.
Nil ſibi ſeponit, nec inutilis ulla ſupellex;
Gens contenta ſuis, quæ fuit uſque bonis.

Accipitur cultu Dives ; relevantur Egeni ;
Utque æther , cunctis hæc quoque porta patet .
Sed ſtudiis vere , ſacriſque operata juventus ;
Pectora nec ficto quæ caluere Deo .
Dux Gregis , & ſancti , qualem vix vota dedere ,
Gualbertum credas jam rediiſſe ſuis .
Lumina non alibi melius ſpectacula poſcunt ;
Quid ſit & hinc diſcas vivere , quidque mori .

AD ARCADAS ROMANOS.

ÆLia Villa prius , numeris renovata Latinis ,
Umbroſæ Vallis deliciæque ſacræ :
Contracto quondam quà Princeps orbe potitus ,
Pro nihilo at totum quem Pia turba putat :
Audiit , & nugis indulſerat Hoſpitis Arnus ,
Quin famam oſtentat , Romulidumque domos :
Voſque aditus faciles Superumque accedere menſis ,
Vos decus , Argeſtes , quod vocor ipſe , datis .
Vatibus at Latiis titulum ſi Græcia præſtet ,
Ut ſervent Artes , Dii voluere ſuas ,
Hic Antra , & Lucus , Potataque lympha camœnis ;
Hinc Populis leges , carmina & inde fluunt ,
Verum parce Arcas , Domini nunc Incola montis ,
Si refugit Tuſcos conſcia muſa modos :
Civibus Urbs ſermone novo ſit culta ; Britanno ,
Sed veteri , veterem commemoraſſe ſatis .

SIGISMUNDUS PRINCEPS CHISIUS Romanus

INTER ARCADES

ASTRIDIUS DAPHNITICUS.

ELEGIA.

PHœbe pater, Phœbique, cohors Divina, Sorores
 In nemus ire precor me ſinite Arcadium.
Urbs aliis placeat: Non omnibus una cupido eſt.
 Me precor arboribus ſylva frequens patulis
Protegat, umbroſumque mihi det amica receſſum,
 Et ſinat optatâ membra quiete frui,
Vela mari magno, turbantibus æquora ventis,
 Dent alii externo in littore divitias
Quærentes, gemmaſque, & fuſcis quicquid ab Indis
 Incertum per iter puppis avara refert.
Templa alii luſtrent, & dona, & thura ferentes,
 Queis Fortuna ſuo celſa ſedet ſolio,
Sacraſque accedant deflexo poplite ad Aras
 Poſcentes culti jugera multa ſoli.
Sunt quos Militiæ labor improbus, impia Cura,
 Et juvat humani ſanguinis atra ſitis.
Sunt quos Aula tenet reboanti plena tumultu,
 Plena metu, & curis pervia ſollicitis:
His placeant tituli, faſces, ſellæque curules,
 Atria fumoſis ſplendida imaginibus.
Non mihi mens eadem. Sylveſtri fiſtula avenâ
 Me cuncta oblitum ſub ſua jura vocat.
In nemora alta vocat. Populi valeatis, & Urbes;
 Mi nemora & ſaltus otia læta dabunt.
Heic novus incedam Phœbi, Triviæque ſacerdos:
 Tela, lyramque manus relligioſa geret;

Per juga ſumma feras ut nunc ſectarier, & nunc
Pieridum ſacris invigilare queam.
Audiat Aoniâ de rupe vocatus Apollo,
Ac me Diva juvet, quam colit omne Nemus;
Et vos, agricolæ Fauni, Satyrique bicornes,
Sanctaque ſylveſtres Numina Hamadryades
Huc, rogo, adeſte; humilem ne veſtræ adjungere turbæ
Me pigeat ſocium, munera parva dabo.
Qui jam formoſam reſonare Amaryllida ſylvas,
Et docuit parcas ingenioſus apes
Tytirus, ille dedit veſtro quæ Numine digna
Munera ſunt, condens Carmina, Caſtalides
Queis meritò plaudunt, queis Delius ipſe ſuperbit
Altius ac tollit Mantua ad aſtra caput.
At mihi non eadem virtus, non ſpiritus idem;
Carminâ nam venâ e paupere noſtra fluunt.
Qualiacumque tamen vobis ſacrare coegit
Me ſacri cultor præcipuus nemoris
Myrhæus, vulgo qui veſtra Oracula pandit,
Qui nos heic fauſtis excipit auſpitiis.
Sit mihi Paſtores inter tua ſacra quotannis,
Pan Dive, effuſo fas celebrare mero;
Fas quoque ſit blandas ad paſcua læta capellas
Ducere, & herboſo membra levare thoro.
Nec non gramineas, Paſtorum bella, palæſtras
Atque agili mox certamen inire pede.
Sæpe & rimoſo plantarum in cortice nomen
Scribere, ut a Lycida prætereunte legar.
Sæpe meos platani caſus narrare ſub umbrâ
Incipiam, quæſtus dum Philomela ſuos,
Atque ſuos Progne ingeminat, queis rivulus ipſe
Attentis tardus detineatur aquis.
Hæc mihi ſunt viridis primævo in flore juventæ,
Hæc mihi ſunt tremulo vota futura ſeni.
Audior; Umbroſæque patent ſacraria ſylvæ.
Hæc ſcripta impreſſis cerno ubicumque notis:

Heic nullæ fraudes, heic ſola, & pura Voluptas.
Gaudia & hoſpitibus dant loca, dantque Dii.
Dì facite, ut nunquam chara hæc loca linquere cogar.
Vallibus Elyſiis ſunt mihi grata magis.

JOSEPH ODATIUS ADRIANUS
INTER ARCADES
ATRENUS ALITTORIUS.

ELEGIA.

TEllus, quæ trinis aſſurgens collibus, amplo
Se maris Hadriaci conſulit in ſpeculo,
Me tulit, & primos vagitus Numen aquarum
Audiit, & reliqui, cærula turba, Dii.
Næniolas flenti Protei cecinere Sorores,
Udaque largita eſt oſcula cana Thetis.
Sylvæ aliis, aliis placeant agreſtia rura,
Dulcis erit mihi, quam Fata dedere, domus.
O placidæ Zephyris criſpatæ molliter Undæ,
Undæ, oculis quondam cara theatra meis;
O tacita audiri dulces in nocte ſuſurri,
Et queruli artifices carminis, Halcyones,
Quas tepidum ad Solem tremulas pleno agmine pennas
Vidi in arenoſis pandere pumicibus.
Munere jam veſtro quanta eſt mihi ſæpè voluptas.
Quanta mihi eſt animo, ac ſenſibus orta quies.
Solus ego quotiès muſcoſa per antra vagabar,
Et comes unus Amor, dux Amor unus erat.
Flavicomas quotiès orabam dicere Nymphas,
Non inventa, ſinù quo, Galatea foret.
Inſcius ambiguas agitabam pectore curas,
Sæpe, veni o, clamans, o Galatea, veni.

Forte meos Triton ſibi carpit iniquus amores?
O illum in ſcopulos torqueat ira maris.
Hæc inter Galatea venis, tibi litora plaudunt;
Lenitèr unda tibi murmurat, ecce venis.
Nos poſt hæc hilares communis cymba vehebat,
Dùm Nymphæ rutilas ventilat aura comas.
Non mare turbari, aùt puppim deflectere venti,
Prodire ex imis monſtra nec auſa vadis.
Ibamus, Triton ſcopulo ſuſpirat ab alto,
Invidus & flammas efflat ab ore graves.
Quid juvat, ò Triton, vitulos offerre marinos?
Quid juvat, æquorea te ceciniſſe tuba?
Incaſſum crocitas, incaſſum grandia jactas
Dona, mihi tantùm dia puella datur.
Dulce erat auditù conchas reſonare cachinnis
Nereidum, Triton dùm gemit, & queritur.
Gaudebam & ſalsâ crines detergere lympha,
Sparſit ubi crines Nympha jocoſa meos.
Litoris indè meum ſignabam nomen arena,
Et ſubitò nomen perdidit unda meum;
At cùm ſignabam Galateæ nomen arena,
Perdere ſignatas reſtitit unda notas.
Hinc projectus humi dùm cogere in orbe ſolebam
Sæpe etiam manibus retia texta meis,
Cernere erat Nautas celeri rate tangere portum,
Et maris, & cæli ſolvere vota Deis.
Cætera quid referam? me litora nota vocabant,
Piſces me norant, Delphis amicus erat.
Illicò tàm dulcem rapuit Sors ferrea vitam,
Abſtulit optatos lex inimica dies.
Non ſic cymba notis, euriſque agitata laborat,
Ut nunc preſſus ego pondere triſtitiæ.
Ingratum exilium dedit aſpera cura Parentis;
Cura, Pater, nato ſemper acerba tuo.
Linque domum, dixit, patrios ah linque penates,
Virtutem ut quæras, eja age, linque domum.

Hæc

Hæc non in laribus manet inter commoda, & inter
Carmina Sirenum, ſed juga montis amat.
Arcadiam, Arcadiam pete fili, diſce capellas
Paſcere, & agreſtes paſcere diſce boves.
Molles diſce, puer, digitos aptare cicutæ,
Preſſaque diſparibus ſibila arundinibus.
Auguror, ecce canit tua fiſtula, & ecce Napæas
Florea cerno tuis fundere ſerta comis;
Et tibi ſic reditum donet Fortuna ſecundum,
Tritonum cedent, te redeunte, tubæ;
Alterno & ſpumas pede comprimet Amphitrite,
Attenta excipiet Glaucus & aure ſonos.
Eccè ego jam verſo per ſordida rura capellas,
Et nunquàm ſaturos ecce ego paſco boves.
Eccè docet pulchrum Siralgus condere carmen,
Cui lauri æternus tempora cingit honor;
Uraniuſque Pater Muſis gratiſſimus, & qui
Cuſtodit cunctas Alpheſibæus oves.
Carmina ſed miſero quid proſunt, ſparſa capillos
Si vocat ad lyntres me Galatea ſuas?
Ah veniam, veniam, ſolitos renovemus amores;
Sic Dii, ſic tandèm Fata ſecunda, velint.
Fallemus de more vagos per cærula piſces;
Felix qui naſſis præda futura tuis.
Nos ſocios radians vitreum Sol lumine pontum,
Vectaque nocturnis Luna videbit equis.
Quid loquor? heù certè Tritonis munera tandem
Te rapuere, mei nec memor ignis eris.
Quid dubito levis? eſt animo Galatea fideli,
Cærulei ut caderent irrita dona Jovis;
Nàm ſtabat, memini, æquoreo ſic aſpera amanti,
Irato ut cautes dura ſtat Oceano.
Ah veniam, veniam, ſolitos renovemus amores.
Sic Dii, ſic tandem Fata ſecunda velent.
Et tu care Pater, languentem reſpice natum,
Æger ab exilio ni redit ille, perit.

O deſerta, umbroſa loca, & loca mæſta valete,
  Præcipiteſque cavæ per latus Alpis, aquæ.
O Sylvæ, antiquæ Sylvæ, præruptaque rupis
  Saxa, ruinoſis pendula & antra jugis.
Obſcuræ valles, colleſque valete ſuperbi,
  Ruderaque inculto pulverulenta ſolo.
Importunarum volucrum, latebræque ferarum,
  Et cum cornigeris, Rura, valete Deis.

ELEGIA.

QUis furor eſt homini, extremos, ut curras ad Indos,
  Credere arenoſis lintea vorticibus?
Semper & Halcyonum infeſtas audire querelas,
  Et raucum Oceani per cava ſaxa ſonum?
Dum ſuper impendens capiti mons inſtat aquarum,
  Stridulaque antennas aura inimica ferit?
Naufraga dum volucres expectant oſſa marinæ,
  Naufraga quæ in tremulis oſſa moventur aquis?
O Nymphæ, ò rutili quibus eſt tutela metalli,
  Cærula Cymodocè, candida Calliroè,
Nunc alias, aliaſque auri nunc quærite venas,
  Et durum ferro ſollicitate ſolum.
En patrio centum excedunt è litore puppes:
  Ferte, Deæ, cupidis munera ferte viris.
Ah niveas, ò Cymodocè, inclinare papillas,
  Calliroè, teneras lædere parce manus.
Non ego pondus amo argenti, non divitis auri,
  Vecta nec è rubro barbara dona mari.
Pauperis agricolæ mihi purum fictile dulce eſt,
  Dulcis paſtorum, nudaque ſimplicitas.
Et dulces nemorum occulti, placidique receſſus,
  Et chorus erratum dulcis Hamadryadum.
Poſſum ego ſorte humili contentus vivere, quando
  Reſpondet votis pulchra Thalia meis.

Illa manù effuſos bene pectens antè capillos ,
  Et facili effuſos mox religata manu ;
Illa levi nexù ut potuit componere flores ,
  Ornans purpureis candida colla roſis ,
Illa meos fauſto pede matutina penates
  Viſit , inornatam nec fugit illa domum .
Et modò me objurgat , longum indignata ſoporem ,
  Nunc mea virgineâ percutit ora manu .
Et digitis nunc explorans cava cymbala eburnis ,
  Nunc leviter , tangit nunc magis , atque magis .
Sic agitata meis inſurgit flamma medullis ,
  Et mea ſic urens occupat oſſa calor .
Uror iò , procul ite ſenes , procul ite ſeveri ,
  Livor non hilaris carmina noſtra legit .
Pace tua poſſum heroes ego tollere ad aſtra ,
  Qui centum aligeros , Erile , paſcis equos ,
Uror iò , arrectique meo ſtant vertice crines ;
  Et mea mens variis pendet imaginibus .
Sed venit ante alias furtim puerilis imago ,
  Ut mentis primum vendicet ipſa locum .
Tuque es blande puer , Veneris pulcherrima proles ,
  Qui umbroſum Idalium , quique Amathunta colis .
Lumina quid juvat , & frontem velare ſerenam ,
  Et roſeas versâ fronte operire genas ?
Jamque ego maternas , tua gaudia , cerno columbas ;
  Tuque brevi filo colla ſupina regis .
Agnoſco , quas uſque moves pueriliter alas ,
  Quæque decent longas myrtea ſerta comas .
Et rutilas agnoſco faces , pictamque pharetram ,
  Et fera , quæ circùm , tela , ſonant humeros .
Sed venit , loquiturque meam ſecretus ad aurem :
  Oh grata eſt blæſo parvula lingua ſono !
Tum gravia Heroum nè irrumpant nomina pectus ,
  Ipſe ſedet vacui pectoris ante fores .
Hinc mea ſe in graciles Elegeia colligit artus ,
  Celans deductos culta ſine arte pedes .

Et Lalagen, Lalagen fracto ore vocat fugientem.
Formoſam Lalagen docta in amore canit.
Et Lalagen ſi fortè videt gemere, ægra ſolutis
Crinibus, & ſocio tacta dolore gemit.
Aſt riſum geminat, feſto & reſpondet amori,
Si riſum illa, oculos ſemiadaperta movet.
Si tegat oppoſitum plorantis lumina velum,
Ne oppoſitum velum ſublevet aura, cupit.
Si tegat oppoſitum ridentis lumina velum,
Oppoſitum ut velum ſublevet aura, rogat.
Mox laudat, niveo ſive illa incedat amictu
Molliter, aut palla fulgeat in crocina.
Et facilem ad choream, ſeù circùm brachia libret
Candida, ſeu tremulam verberet arte chelyn;
Compoſitos laudat motus, tunicamque fluentem,
Laudat, flexibiles ut premat illa manus.
Ah Lalage, Lalage, ni tu mea carmina temnis,
Nec teretem invitâ colligis aure ſonum.
Ipſe elegos pangam, pura modulante Thalia,
Dum tenero ardori læta juventa favet.
Materiem attritis tu promes verſibus aptam;
Ibis & ingenio ſic celebrata meo;
Ut populus dextrâ te ſignans forſan euntem,
Dixerit: oh Vati compta puella places!
Spiritus ex humili maturo tempore ſurget,
Ni mihi Sol celeres claudet Olympiadas.
Tunc precor, ad grandes me ſublevet aura cothurnos;
O precor Uranie tunc mihi ſternat iter.
Et carpam electas Parnaſſi è vertice lauros,
Dulcia ſanctarum dona Heliconiadum.
Nunc hedera, & cinctus geniali tempora myrto
Deſpiciam quidquid mobile vulgus amat.

FRAN-

FRANCISCUS MARIANUS
Viterbienſis
INTER ARCADES
BERGUERIUS NONACRIDÆUS

AD MARCUM ANTONIUM ZONDADARIUM
Magnum Melitenſium Equitum Magiſtrum nuper electum, inter Arcades Accl. Hippodum Myagrianum.

Ut Fratris ſui Marii Equitis Hieroſol. cædem in Peloponneſo adverſus Turcas pugnantis ulciſcatur, ubi interfectum Fratrem Pollux ultus eſt.

EPIGRAMMA GRÆCUM.

Ὤς πέσε Τυνδαρίδης ὑπὸ Ἴδα, ἔκδικος ἔσται,
Φῆ, ὁ Κασίγνητος τοῦ θανάτοιο ἐμοῦ.
Κεῖνος μὲν βίοιε, καὶ ὑπέρ μου ἥξει ἔνοπλος,
Ζῆν γέ τις ἀλλήλοις ναὶ φαέεσιν ἐρεῖ.
Ἄστρον ἐμὸν ναῦται χειμαζόμενοι καλέσουσιν,
Ἐν τοῖς κινδύνοις ὡς ἐπίκουρος ἔω.
Ἀλλὰ θανὼν σὺ δίκην Κάστοῦ Μεσσήνιε δώσεις,
Καὶ μάρτυς Πέλοπος γαῖα μὲν ἥδε τυχεῖ.
Κάστορα αὐθὴν περὶ τοῦ Πολυδεύκεος εἰπεῖν,
Ἀλλὰ Κασίγνητος, Δέσποτα, σου λαλέει.

IDEM LATINUM.

Cum caderet ferro Caſtor trajectus ab Ida,
Vincor, ait: Frater ſed meus ultor erit.

Is pro me vivet, pro me pugnabit in hoſtem.
  Atque hinc alterna vivere luce ferar.
Sidera noſtra colet jactatus navita ponto,
  Et vela adverſus barbara poſcet opem.
At tu morte dabis Fratri Meſſenie pœnas,
  Hæc Pelopis tellus, hæc mihi teſtis erit.
Caſtora credidimus ſic de Polluce locutum,
  Princeps, ſed Fratris verba fuere tui.

In Poetam maledicum eviratum.

EPIGRAMMA.

SEmivir, infœcundum animal, rauciſſime vervex,
  Undique cur contra me maledicta jacis?
Dupliciter peccas: male cantas, & maledicis;
  Si mala vox, ſaltem ſint bona verba tibi.
Indoctum me hominem dicis! Concedo libenter:
  At te jure virum dicere nemo poteſt.
Aſt etiam noſtros audes reprehendere mores;
  Gaudeo: probra mali pondera laudis habent.
Me ſi tu carpis, laudat tamen unus, & alter:
  Tu nullos teſtes integritatis habes.

In eos qui lunam, & aſtra conſulunt, ut numeros ludi divinent.

EPIGRAMMA.

IN ludis nihil aſtra valent, nil Luna, nec ipſe
  Fortunæ latebras Sol penetrare poteſt.
Non credis? duplica numeros, urnaſque moveto,
  Hinc, atque hinc ſortes, extrahe utrinque ſimul.
Tempus idem, locus atque idem, ſub ſidere eodem,
  Quin pariles numeros dent, dubitare nequis.

Aſt

Aſt ego diſpeream, ſi vel ſemel unus, & idem
I ibit numerus par in utraque manu.
Experiare licet: tibi ſors teſtabitur uſque
Se ſine lege Deam, te ſine mente caput.

THOMAS CEVA MEDIOLANENSIS
Soc. Jeſu

INTER ARCADES

CALLIMACHUS NERIDIUS.

APOLOGUS.

COncilium mures quondam fama eſt iniiſſe
Semiruti tecti ſub fornice. Nocte ſilenti
E patriis loculis venere, arciſque repoſtis
Quotquot roſa colunt armaria, quotque ſalignis
In pluteis habitant, aurigarumque latebris;
Qui mactris, olliſque latent, taurinaque lora,
Atque adipem, atque unctas ocreas, & glutina mordent;
Et quibus eſt noctu bellum cum gliribus, & quos
Jejunos ſaturant, infelix eſca, libelli,
Laureæ, Ephemerides, trita uſu Onomaſtica, amantum
Commentarioli, miſerandaque carmina vatum,
Conſedere omnes ſuffragia collaturi
Re ſuper ingenti. Senior quos inter Erauxtes,
Concilii præſes, qui mulctâ nocte Platonem,
Marſiliique vetus præroſerat ante volumen,
In medio cœtu ſic fatus. Seriò agendum
Inter nos, Patres, & ſedulò decernendum
In genus inviſum feles. Sunt cuique latronum
Nota odia, & noſtræ paſſim diſcrimina gentis.
Nuſquam tuta domi penetralia, rimula nulla,

Aë-

Aëriuſque imbrex, paries, teſtudo, lacunar,
Quò non ſeſe ungue inſinuet teterrimus hoſtis:
Pervia quippe illi ſunt oſtia quæque, relicto
Orbe cavo, quo ſe furtim nequiſſimus infert,
Percurſatque omnes noctuque diuque penates.
Quid memorem bella & cædes, & cædibus ipſis
Intoleranda magis ludibria? Nos, ubi captos
Perfidus ungue tenet, miſero lentoque fatigat
Supplicio, verſat, reſupinat, jactat in auras,
Indulgetque fugam, rurſumque fugacibus inſtat.
Denique ſemineces ſpiranteſque ore prehenſos
Furcifer oſtentat paſſim, victorque triumphat.
Nec fas ulciſci bello tot funera: inermes
Exiguique ſumus. Nequicquam atrocia quæque
Prædoni expetimus: Nequicquam fuſte peremptum
Optamus miſeri: vana eſt ſine viribus ira.
Fraudibus ergo locus tantummodò, fraude ſceleſtus,
Atque aſtu procul arcendus. Vos dicite, Patres,
Vos lecti proceres, & lumina prima ſenatûs,
Quæ ſpes afflictis rebus, bellique cruenti
Effugium, quæ cuique animo ſententia ſurgit.
Nam dolus hic aliquis niſi vires ſuppleat, aut hinc
In ſylvas campoſque vagi ni pergimus, actum eſt.
Sic ait. Illi autem confuſo murmure ſecum
Multa agitant, multa obiiciunt, objectaque ſolvunt.
Exploratores primò diſponere viſum,
Quales conſuerunt in caſtris, ordine certo
Qui vigiles aditus ſervent nocteſque dieſque.
Sed rimoſa nimis domus eſt, & ſæpius hoſtis
Improviſus adeſt non obſervabilis ulli.
Culmina ſumma petit, ſaltu emicat arduus, ipſis
Paſſeribus tecto volitantibus iniicit ungues;
Nec vis ulla potis tot paſſim eludere fraudes.
Quare ineunda via eſt melior; meliorque ea viſa
Agreſtes longè præſtanti corpore mures,
Qui campos, qui ſtagna habitant, nemorumque receſſus,

E pa-

E patriis laribus ſocios in bella vocare.
Deliciis non illi urbis, luxuque domorum,
Atque epulis fracti; ſed fortia pectora bello;
Audaces animi, ſolidequæ ad vulnera pelles.
At neque pleriſque id placitum. Stipendia terrent,
Civiliſque metus belli, ne pinguibus eſcis
Illecebriſque domûs capti, gens aſpera ad agros
Eiiciat veteres urbanâ è ſede colonos.
Hæc potior demum cunctis ſententia ſedit,
Quam tulit, ut fama eſt, Turpillus ridiculus mus.
Olli contigerat ſedes mundiſſima tecti;
Treſque ibi jam menſes exceptus divite luxu,
Hollandas inter telas ſceleratus agebat.
Namque armariolo ſe ſubdolus inſinuarat,
Ordine ubi mappæ digeſtæ, & cætera lina,
Quæ cedro exanimi, violis, & amaraco odoro
Compta aſſervantur textis redolentia ciſtis.
Horum Turpillus cuſtos, hiſque addere lauri,
Quæ deerant, baccas; & olenti ſpargere lymphâ
Purpureas vittas, ricinia, picta flabella,
Delicias Nuptæ ſpurciſſimus ille ſolebat.
Plorabat miſera, & lacrymis convitia dira
Miſcebat; quoties puro certantia lacti
Fœda intus maculis bombycina perſpiciebat.
Et malè ſit muri, ajebat, qui proluit omnia,
Fæcibus atque ſuis mî ſpurcat lintea, & omnes
Commaculat limbos, byſſoque indormit & oſtro.
At te ego ſi poſſim ſemel hîc comprendere, nequam,
Tete ego qui deceant mores, ſcelerate, docebo.
Nequicquam interea ſuſdeque invertere cuncta,
Deprenſura intus prædonem. Fugerat ille
Jam priùs in tutum. Nam prævia Liſa catella,
Quæ greſſus ſemper comitari aſſuerat heriles,
Ex oricalcho agitans collaria tinnula longè,
Ædibus hac illac audacula diſcurrebat.
Quo ſonitu admonitus dominæ adventantis, in imas

Ille

Ille recedebat latebras. Sic luſerat omnes
Fœmineas iras, ſic dudum impune latebat.
Hiſtoriam hanc coram narrabat fuſiùs ille;
Et riſere dolum juvenes, nec ſe tenuere
Longævi patres. Ille autem tempora nactus
(Conſiliis nam ſæpe jocus dat providus anſam)
Cur & nos, inquit, quando hæc tenet anxia cura,
Non eadem ſtreperis vocalia cingula bullis
Inijcimus feli? Nunquam improviſus adeſſet,
Tinnituque procul ſe proderet improbus hoſtis.
Sic ait; & Patres tantiſper rem meditati,
Ut faciunt qui vina probant, eaque optima norunt,
Inclinare aures utrinque ad pectora, ſeſe
Intentis oculis circumſpectare viciſſim
Nutibus; unanimes omnes hoc denique velle:
Hoc Poliphon, hoc Licophynax, ſeniorque Lichenor,
Artophaguſque, omnes illorum è ſanguine avorum,
Qui bello quondam ranas fudere paluſtri,
Quos citharis olim Graiis celebravit Homerus.
Hoc igitur fixum ſedet omnibus, omnibus una
Atque eadem penitus concors ſententia votis.
Quæritur ergo, oneri qui ſeſe accingere tanto
Pro laribus ſacris, patriiſque penatibus auſit.
Verùm hîc longè aliâ rem quiſque expendere lance,
Nemo prior tentare vadum, ſe quiſque fateri
Immeritum, tanti cui cedat gloria facti,
Atque has atque illas (ut fit) prætendere cauſas.
Huic inventa domi ſibi jam penetralia tuta,
Quò neque ſe inſinuet cæli ſpirabilis aura:
Huic pes exuſtus dum lampadis ambit olivum,
Stigmate quo claudus vix ægrè incedere poſſit:
Huic nidus natorum ingens in luce relictus,
Quem, niſi præproperè abſcondat, ſibi degulet hoſtis.
Talibus, incerti quid agant, conſulta trahebant
In noctem. Strepitum interea de culmine tecti
Senſerat excubitor felis, tacitéque repoſti

For-

Fornicis obſcuras latebras de more ſubibat.
Lætitiâ geſtire avidus latro, ac pedetentim,
Conſcius audacis facti tentare lacunar.
Verùm, ubi nequicquam ſeſe intromittere rimis
Luctatus pede & ungue diu miſer inſtitit; iram
Non tenuit, gemitumque dedit: quo fulguris ictu
Percuſſi, hac illac per gypſea rudera cuncti
Haud mora dilapſi ſubjere foramina nota
Illico: Sic cœtus congreſſuſque ille ſolutus.

Naufragium Claſſis Caroli V. *in Africa, dum* Juliam Cæsaream *præſens obſideret*.

Andreæ ab Auria Fides & Conſtantia.

Jam formidatum nautis prævideret axe
Obſcuros ſolitum nimbos portendere ſidus
Auria, Cæſareaſque acies malè præſcius Afris
Nequicquam inſtiterat quamprimùm abducere terris.
Ergo, ubi jam propiùs venientis ſigna procellæ,
Nimbiferique procul præſenſit murmura venti;
Jamque atras cogi nubes, jamque aëre vidit
Collucere ignes, & crebra tonitrua longè
Audiit; altè animo reputans Neptunius Heros
Cæſaris exitium malefidâ in litoris orâ,
Quæque acies feſſas clades miſeranda maneret,
Stans tumido in pelago de puppi interritus altâ
Ingemuit, rupitque ſenex has pectore voces,
Hæc ego prædixi: juvenis ſed præſcia Cæſar
Nil monita extimuit. Jam nunc noſtra omina ſentit,
Atque olim hic turbo venturos inſtruet annos.
State, viri: antennis ſubſtringite vela: marinos,
Quà veniunt, prorâ obverſâ perrumpite fluctus:
Ne trepidate; adſum ſalſi vetus incola regni:
Longè alios fluctus, tempeſtateſque ſubegi.

Al-

Alta tene, rector clavi: ſaxa æquore tecta,
Abſtruſaſque aras, inſidaque litora noſco:
Hac iter, hac curſus: me cætera vela ſequantur:
Talia juſſa dabat. Verùm alto obſcurior uſque
Nox incumbebat ponto, Libycique Notique
Turmatim exierant quaſſis immanibus alis
Effuſi è patriis antris. Jamque atra profundo
Nunc has nunc illas hauribant æquora puppes.
Nequicquam miſeræ tonitru æris poſcere in alto
Subſidium fluctu, necquicquam tendere dextras
Exanimes nautæ, voceſque attollere cælo.
Quis pelagi horrendam faciem, quis murmura narret,
Nimboſamque hyemem, flagranteſque æthere nubes?
Nam Cælum ad Boream, veluti vulcania fornax,
Horrificis intervallis ardebat, opacâ
Nocte interlucens; diroque in lumine circùm
Splendebant latè ſpumanti in littore fluctus
Alliſi ſcopulis, jacto uſque ad ſidera rore.
Hàc illàc pelago ſparſæ fluitare triremes,
Albida quas ſaltu fracta undique tranſilit unda.
Aſt aliæ in patulas (viſu miſerabile!) ſyrtes
Ferri præcipites, proraſque allidere ſponte
Evaſuræ iras pelagi. Circùm omnia ſævi
Littora complerant Numidæ, pharetrataque turba
Maurorum egreſſa ad prædam, jactiſque ſagittis
Arcebant profugos terris. Ergo Auria latè
Proſpiciens oculis claſſem, ſpem Cæſaris, omnem
Ponto abſorberi, & circùm maria undique ſparſa
Antennis fractis, ſtanteſque in littore gentes
Cæſareas, reditum quibus æquor, navibus hauſtis
Jam ferme abſtulerat; furiis cælique mariſque
Jam victus, magnos fertur nudaſſe lacertos,
Ferratumque manu contum ſtrinxiſſe minaci,
Omnia Neptuno ſimilis vocemque, capilloſque,
Hirſutoſque ſinus. Sic altâ immobilis Heros
Conſtitit in puppi, atque oculos vultuſque tremendos

Obvertit pelago ſæviſque Aquilonibus: &, Me,
Credo, inquit, noſtis. Nobis hæc credita claſſis,
Quæ Libycis nunc fertur aquis. Nec quærere veſtras,
Quas tegit æquor opes, huc venimus, aut peregrinas
Avehere hinc ratibus merces; ſed plectere bello
Prædones terræ pelagique. Audiſtis? an ultra
Audire eſt aliquid, quod fortè... Haud plura locutus,
Lumina defixit ponto, Mirabile dictu!
Neptuni voces, atque ora ſimillima venti
Extimuere; iras timidi poſuere: ſonantes
Collegere alas; nec ſe auſos talia ſponte,
Sed Stygis imperio ac juſſu, Eumenidumque flagellis
Actos ajebant; tacitique per æquora ſenſim
Poſt alios alii, trepidi in ſua regna redibant.

ENSIS FERRVGINEVS
Armariæ officinæ ſignum.
PROSOPOPŒJA.

Qui ferrum exacui limâ, argillâque poliri,
Vincirique auro capulum, aut de more coruſcam
Laminulam lateri ſociam cupis, huc ades. Index
Longævus ſum, qui loquor, aëre pendulus enſis,
Jam multo ſenio ſqualens & inutilis, haſce
Ante fores. Bello emeritus, poſt prælia multa
(Nam præſens vidi memorandam ad ſtagna Ravennæ
Gaſtonis juvenis cladem, & miſerabile fatum;
Vidi & Lotrechium furiis immanibus actum,
Cum pugnam Helvetii non æquo tempore vellent:
Jamque priùs Guelphas, Ghibellinaſque ſecutus,
Nunc has, nunc illas partes, miſeranda per agros
Funera, perque domos, & Thuſca per oppida paſſim
Edideram ſtrages) poſt tot fera prælia tandem,
Bello, ut dicebam, emeritus, longo obrutus ævo,
Jam nunc invaliduſque ſenexque hos ſervor in uſus,

Signum ex hoc tigno ſuſpenſum : hoc munere fungor.
Hinc auro illuſos currus, ſellaſque volantes
Ire redire diu, famulorumque agmina cerno.
Heu quos in trivio juvenes, quas pulvere odoro
Cæſaries ſparſas video! Quantum, Itala tellus,
Italiæ veteri diſtas! Quò bellicus ille
Ceſſit amor ferri, & primævæ gloria gentis?
Illa arma, illi enſes fuerant, quos Martia campis
Temporis illius pubes invicta gerebat.
His Albericus princeps, & magnus alumnus
Sfortia, & Urbinas ille inclytus; hiſque Columna,
Maſtinuſque ferox, aliique, his enſibus, inquam,
Confiſi, longis protecti corpora ſcutis,
Solibus, & brumâ durati in bella ruebant.
Tunc fortes validoſque viros, firmiſque lacertis,
Haud timidos nocturnæ auræ, eoæque pruinæ,
Roboribus natos ætas generoſa ferebat.
Nondum Italis cocolatem advexerat India, nondum
Muſica nocturnis ſcenis vitiaverat aures,
Nec capiti glabro ſummiſerat Anglia crines.
At juvenes in equis tonſo de more capillo
Membra exercebant venatu, aut ludicra Equeſtris
Congreſſi campo Martis ſimulacra ciebant,
Ferratâ dextrâ, ſtrictis ingentibus haſtis.
Nunc verò enſiculis auro argentoque coruſcis
Res agitur; meque illo Orlandi tempore natum
Fusbertæ æquævum gens iſtæc pumila ridet.
Quos ego .... Fac auſint mecum deſcendere in arctum
Certamen: ferrugineus fractuſque ſenectâ
Ut ſum, diſpeream, ſi non tironibus iſtis.
(Mecaſtor) fulvam lamellam in fragmina centum
Diſiiciam, intortum capulo quamvis gerat aurum,
Inque apice extremo fulgens ſcintillet iaſpis.
Talia jactabat; nam portæ in limine durus
Cantaber empturus frameam, veteremque bipennem
Conſtiterat, qui dicta oculis, nutuque probabat.

BE-

BENEDICTUS AVERANIUS
Florentinus

INTER ARCADES

CORYLÆUS NAXIUS.

AD FERDINANDUM MAGNUM HETRURIÆ PRINCIPEM.

Laudatur Venationis ſtudium.

ELEGIA.

DUm tu, magnanimi Proles auguſta Parentis,
Ferdinande, moves arma inimica feris;
Nec tantùm gaudes imbelles figere damas,
Cervorumque ſequi lata per arva greges,
Sed cupis horrendos invadere comminus apros,
Et placet e forti gloria parta ferâ;
Vibrantem tenera victricia ſpicula dextrâ
Vidit Nympharum læta Diana choris;
Et mirata decus formæ veſtigia preſſit,
Laudavitque agiles ad ſua dona manus.
Hinc ait: Etruſci ſalve ſpes altera Regni,
Progenies Magno digna Parente, Puer.
Quam lætor, dum te video pulcherrime rerum
Florentem ſtudiis, conſpicuumque meis!
Nam coluiſſe meas quis poſſit digniùs artes?
Quis tantum Nymphis, & mihi ferre decus?
Par tibi fortunæ eſt tenero maturius ævo
Ingenium, egregiis mens generoſa bonis,
Et pudor ingenuus, probitaſque, & nobilis ardor,
Quo mea, quo Phœbi munera lætus amas.
Nec puer Aſcanius tantum indole claruit altâ,
Miſit in hoſtiles quum fera tela globos.

Segnior Hippolyto virtuſque, & dextera forti,
Nec vigor in niveo corpore tantus erat.
Tu ſeu tela vibras agili contorta lacerto,
Impiger, & pugnæ jam ſimulacra cies,
Sive premis curſuque feras, teliſque fugaces,
Inque meas artes incubuiſſe juvat,
Oſtendis claro te natum e ſanguine Regum,
Altaque virtutis das documenta tuæ;
Seu celerem ſublimis equum compeſcis habenis,
Sive jubes volucri carpere prata fuga;
Seu docilem gaudes in gyrum flectere curſum,
Natus Amyclæa Matre videris Eques.
Jam quum Phœbeas animum convertis ad artes,
Et ſacer Aonidum pectus adurit amor,
Flagrantem ſtudio miratur Delius ipſe,
Et ſtupet ingenium Calliopea tuum,
Sed quamvis felix te ſemper gloria tollat,
Condecoretque ſequax gratia, quidquid agis,
Nil te, Magne Puer, tantum decet, ars mea quantum;
Quam Reges, magni quam coluere Dei.
Quum juvat umbroſas indagine claudere valles,
Turbataſque ſequi per juga ſumma feras,
Altiùs inſurgis, tractantis & aſpera tela
Divinum egregio fulget in ore decus:
Tunc roſeos vultus, & lumina blanda Napeæ;
Tunc & Apollineas obſtupuere comas.
Ipſe manus, celereſque pedes laudavit Apollo,
Et ſolùm telis tela minora ſuis.
Perge, Puer, tales nec tu contemne labores,
Ferdinande, meos neve relinque choros.
Hæc tibi magnarum virtutum elementa futura,
Hæc tibi manſuræ ſemina laudis erunt.
Scilicet his olim ſtudiis exercita virtus
Crevit, & Heroum vexit ad aſtra decus,
Hac primam in ſilvis exercuit arte juventam,
Qui puer Aſtyagi jam metuendus erat;

Ille

Ille pharetratam qui Perſida victor, & Indum,
Et tenuit ſceptris ultima Bactra ſuis.
Ipſe etiam Æacides Grajûm fortiſſimus Heros,
Quo duce barbaricas Græcia fregit opes,
Dardana Peliacis meditatus bella ſub antris
Erudiit fortes hac puer arte manus;
Et qua concuſſit Neptunia Pergama dextrâ,
Gaudebat trepidas hac agitare feras.
Parva loquor; Phœbo placuerunt talia, Phœbum
Venantem ſaltus detinuere mei;
Utque facis, capreaſque puer, cervoſque ſolebat
Figere, & hæc illi præda triumphus erat.
Hinc eſt aucta Deo virtus, hinc vertit in hoſtes
Arma, quibus pavidas fixerat ante feras;
Et quum veſano tellus concuſſa tumultu
Ipſa daret Natis impia tela ſuis,
Non timuit vaſtâ tendentes mole Gigantes
Pælion Oſſæis impoſuiſſe jugis;
Et ſtetit Enceladum contra, Latonia tela
Auſus Phlegræis oppoſuiſſe minis
Altaque fulminei defendit regna Parentis
Impiger, atque ipſo vix genitore minor.
Huic ſimilis formâ, Puer, es pulcherrime, talis
Ille oculis, roſeo fulſit & ore puer;
Et quas nunc ſolers artes colis, ille colebat,
Et qua nunc præſtas indole clarus erat,
Et virtute parem finget te ſerior ætas,
[Si modo fas hominem compoſuiſſe Deo]
Utque minas fratrum non horruit altus Apollo,
Titanum & diro ſanguine tinxit humum;
Sic tibi non animus, non dextera ſegnis in hoſtem,
Armarit ſi quos in tua regna furor.
Etruſci colles Cœlo gratiſſima tellus,
Quam placidus vitreis irrigat Arnus aquis,
Quæ vobis magni lætiſſima munere Coſmi
Aurea pax floret, floreat illa diu,

Et vos flava Ceres, & vos pulcherimus Evan
  Muneribus certent uſque beare ſuis,
Ingeniiſque, opibuſque, & ſanctis moribus ornet,
  Augeat atque omni Juppiter altus ope;
Et procul abſit amor cædis; Tyrrhenaque ſemper
  Neſciat hoſtiles terra beata minas.
Sed quoniam conſtans nihil eſt mortalibus uſquam,
  Verſat & inſtabiles fors, variatque vices,
Et furiis Mars ſævus, & implacabilis ardet,
  Æternam & pacem gentibus eſſe vetat;
Siquid fata parent, ſi quid fortuna minetur,
  Rumpat & armipotens otia veſtra Deus;
Felices tanto vos Principe, quanta triumphis
  Creſcet materies, lauriger Arne, tuis?
Theſſala non tantum ſeſe jactavit Achille,
  Nec Theſeo tantum Cecropis ora ſuo;
Hoc quantum ſeſe tollet ſublimis alumno
  Magnorum Tellus mater Etruſca Virûm.
Scilicet hic, veterum qui maxima facta virorum,
  Semideumque decus vincere poſſit, erit.
Nec minus egregias artes, quibus aurea floret
  Pax, & tranquillum pacis amabit opus,
Addere virtuti ſtimulos, & præmia laudi,
  Suppliciique metu continuiſſe malos,
Mitibus imperiis gentes frenare ſuperbas,
  Utque ſuis Regni conſuluiſſe bonis,
Et facere ingeniis, & amicis otia Muſis,
  Clara nec in tenebris facta jacere pati.
Hæ Ferdinando tranquilli pectoris artes,
  Hoc ſtudium placido nobile mentis erit.
Gaude Magnanimûm Genitrix Florentia Regum.
  Tuſca videt placido lumine Regna Deus;
Nam quæ tranquillo felix Etruria Coſmo
  Laudibus, atque opibus floret adaucta novis;
Non minus & nati virtutibus inclyta creſcet,
  Non minus alta ſuum tollet ad aſtra caput.

Ma-

Magne Puer, quum firma Virum te fecerit ætas,
Tunc populis condes aurea ſæcla tuis:
Tu lux Auſoniæ, tu ſpes fidiſſima gentis,
Exemplum & magnis Regibus unus eris.
Felix illa dies, quum tu plaudente Senatu
Aurea cum magno ſceptra Parente geres;
Et Genitor tantæ partem deponere molis,
Gaudebitque humeris impoſuiſſe tuis.
Te lætum aſpiciet tunc Æthere lætus ab alto,
Monſtrabitque artes Juppiter ipſe ſuas,
Queis populos frenare queas, & condere leges,
Publicus unde tibi concilietur amor.
Hæc tibi contingent olim, nunc mollior ætas
Aptior eſt noſtris, Pieridumque choris;
Hos cole, ut & vigeat mens doctas culta per artes,
Et firmet gratus fortia membra labor.

JO: GOTTLOB BOEHME
Germanus

INTER ARCADES

CRISENIUS BEROENSIS.

ELEGIA.

DUm vacat, & noſtrum delectant rura Menalcam,
Nos etiam ſylvæ, cultaque Villa, juvant.
Nos petimus campos, curas & mittimus Urbis:
Ruſtica curarum neſcit amara cohors.
Nunc caput impediant verno de flore corollæ
Quas modo collectas, candida Nympha dedit.
Saltantumque choros Dryadum, Faunoſque, ſequamur:
Quiſquis adeſt, alacri ter pede pulſet humum.

Nec nos Arcadicæ cedamus carmine Turbæ,
  Perſonet argutum dulcis Arundo nemus.
Poſt patula liceat captare ſub Ilice frigus,
  Mollis ubi feſſo præbeat herba torum.
Fons ubi; ſuadebunt faciles & ducere ſomnos,
  Nunc volucrum cantus, nunc leve murmur aquæ:
Ac mille intonſis errant in montibus agnæ;
  Duxque caper; magnam grex ſequiturque Palem.
Hæc mihi jucundæ contingant tempora Vitæ!
  Ah, valeant Urbes! Hæc mihi rura placent.

IN DERCYLLIM.

BIna Venus; Charites quatuor; bis quinque Camænæ;
  Omnia Dercyllis, Gratia, Muſa, Venus.

HENDECASYLLABI.

PRomiſſum tibi mittimus Libellum,
  Incomptum, lapidemque, caudicemque,
  Plenum pulveris atque aranearum,
  Et ſi quid magis eſt eis inane.
  At noſtro Capiti cave impreceris;
  Peccatum nihil eſt, Amice, nobis,
  Promiſſum tibi mittimus libellum.
Hic & Pagina non legetur ulla,
  Et verſus tibi non legetur ullus:
  Hic & littera non legetur ulla,
  Abſque frigore, tuſſibuſque centum.
  At tù tam bonus es, mihique carus,
  Tam carus mihi, quam tibi camænæ,
  Flos ſodalitii, decuſque noſtri,
  Iſtis, ſi ſapis, abſtineto nugis.

AD

AD AMICVM.

Cum ei Menckenii Carmina tranſmitteret.

EN tibi Menckeniæ cultiſſima Carmina Muſæ;
Carmina Romani ſic cecinere Viri.
Hæc nos delectant vacuos: his utere mecum;
Et mecum Clario dic bene Amice choro.

AD ROSAM.

O Decus Florum, Roſa, nata Pæſto,
Candidæ ſeù tu gremium Puellæ,
Seu petis dextram, magis aut foveri
Pectore geſtis;
Quò juvat vadas, Venere haud iniqua;
Plena jucundi placeas odoris,
Sentiunt qualem, per agros, Sabæi
Flore beatos.

BERNARDUS GUILIELMINUS GALLUS
Cl. Reg. Sch. Piarum
INTER ARCADES
DALGUS METIMNÆUS.

IN NATIVITATE DOMINI
ELEGIA.

SI licet Auguſtos nobis Paſtoribus inter
Reges ferre tibi munera noſtra, Puer;
O divine Puer, facies tu nos quoque Reges,
Exigua tecum ſi dabis eſſe mora.

Audior : ille mihi ſubriſit, & ille tenellis,
Liber ut accedam, ſigna dedit manibus.
Accedo, mea lux, mea vita, tuiſque (Parenti
Convenit os) pedibus libo ſuaviolum.
Dic igitur Matris pulchræ pulcherrima Proles,
Deliciæ ſuperum, deliciæque hominum
Dic igitur, quid te cœlo deduxit ab alto?
Terra tibi viſa eſt forſan amabilior?
Non ita : nam noſtro pejus nihil orbe, nihilque eſt
Nequius humana gente, nec aſperius.
Nota at cuicumque eſt bonitas tua, notaque cauſa eſt.
Cauſa quod in terras veneris, ipſe fui.
Ipſe fui, cujus nimio ſuccenſus amore
Suſcipis a prima clade patrocinium.
Delicias, & quæ bona plurima continet axis,
Mutâſti generis conditione mei.
Infinitus eras, orbem porrectus, & ultra
Solem, membra ligant nunc tua faſciolæ.
Verbum Patris eras vivum, & ſapientia, neſcis
Sed modo diſtinctas articulare notas.
Dives eras, tuus axis erat, tuus ambitus orbis,
Sed modo vix fœnum, quod tibi ſubſit, habes.
Jura dabas ventis, hiemeſque, niveſque coercens:
Te venti & gelida cum nive torquet hiems.
Cœli Rector eras: tecti modo pauperis hoſpes,
Quo vitam foveas, lacte Parentis eges.
Te comitabantur ſuperorum millia centum;
Adſiſtunt cunis nunc duo bruta tuis.
Quid multa? ut felix hominum genus, atque beatum
Efficeres, nudus factus es, atque miſer.
Sævus Amor, ſævus : quid id eſt, ſi terque quaterque
Ingeminem, ſævus, ſævus, & aſper Amor?
Talibus ille Deum pueri ſub imagine fixit
Vulneribus, tales rettulit exuvias.
Sed quoniam tam dura pati te cogit egeſtas,
Parva licet mea ſint munera, ne renuas.

Cer-

Cernitis ? Ecce manum lætus mihi porrigit Infans :
Ecce & ego e calatho ſingula promo meo .
Accipe , quas multa tibi textuit arte Lycoris
Faſciolas , Phrygia quas variavit acu .
His modo te involvet Mater : ſed contrahis ora ?
Non bene vincla tibi donat amica manus .
Ecce tibi flores varii . Non aſpicis ? eheu !
Flos campi flores deſpicis occiduos .
Fruſtra igitur riguo colui tibi lilia in horto ;
Candorem referent lilia nulla tuum .
Sæva roſis fruſtra ſervatis bruma pepercit ;
Nam roſa non flammas exprimet ulla tuas .
Pingue Sabæ munus tibi ferrem , & munus Hymetti :
Thure ſuavior es , dulcior eſque favo .
Lac preſſum , liquidumque darem : ſed ſpernis utrumque
Nectar enim ſugis Matris ab uberibus .
Ecce tibi tandem , quo nil feſtivius , agnus :
Sed niveus fuſcum te prope vellus habet .
Eſt etiam dilecta mihi formoſa columba ;
Vileſcit , cum te cerno , columba mea .
Quid moror ! ante pedes tibi totum effundo caniſtrum :
Elige quid dignum ſi tamen invenies .
Dum componebam munuſcula in ordine , verbis
Conatus pretium conciliare meis :
Omnia ſuſpexit , volvit tenus , atque revolvit ;
Fluxerunt patulis omnia de manibus.
Nec mora ſubſiluit , Matremque amplexus ad aurem
Os , ut dicturus non nihil , appoſuit :
En modo ab amplexu reſilit : niſi fallor , utroque
Me unum deſignat lumine , meque manu .
Non mea , jam capio , ſed me deſiderat ipſum :
Ergo dabo Matri munera , me Puero .
Me Puero ? Sed quid totis me vilius agris ?
Quidve tuum minus eſt flexile ad imperium ?
Efficere at potis es cor molle e marmore duro :
Sancte Puer , fiam cum tuus , alter ero .

Non

Non artes, nec verba hominum me dulcia fallent,
  Nec totæ mundi deliciæ, nec opes:
Vox tua ſola meis reſonabit in auribus: omnes
  Tu mihi deliciæ, Tu mihi ſolus opes:
Nam ritu fluvii noſtra omnia dilabuntur:
  Multaque turba natat proxima vorticibus.
Tu autem temporibus nullis comprenſus es idem,
  Idem & eris ſeclis innumerabilibus.
Tecum vivet & is, qui te nitetur in uno:
  Qui ſecus, æternum vergit in interitum.
Hinc hærebo tuo lateri noctuque diuque,
  Aſſiduis Matri junctus in officiis:
Et cunas agitando tuas, modulandoque dicam
  Hanc tenero, atque brevi carmine næniolam.
Dormi, o belle Puer, Puer optime, lux mea, dormi:
  Claude oculos oculis carior ipſe meis.
Depellit curas, mala lenit & omnia ſomnus:
  Dormi igitur noſtris, Pupule ſepte malis.
Parvule, Candidule, Jucundule, Blandule, nox eſt.
  Eſſe ſolet pueris nox vigilata gravis.
Dormi, Pupe tener, requieſce tenellule Pupe;
  Hoc Mater lacrymans te rogat, hocque Pater.
Euge ſilete: Puer nitidos jam claudit ocellos:
  Illius ſed cor perpetuo vigilat.

De Sancto Petro Apoſtolorum Principe.

SERMO.

Chriſtus formato grege verbo & ſanguine Petrum
Ejus habere jubet curam, mercedis & inſtar
Victum cuſtodi parat amplo in vaſe, quod alto
Linteum ab axe refert demiſſum, ac eſurienti
Omnia quadrupedum genera, omnia cumque volucrũ,
Cumque voluminibus ſerpentum præbet, & inquit;
Oc-

Occide, & manduca. Hæret perterritus ille,
Et magis attonitus dapibus, quam languidus atra
Solicituſque fame. Myſteria, Chriſte, futuri
Arbiter, & cœli terræque ſuprema poteſtas,
Tu qui hæc magna facis, tu hæc nobis magna revela.
Eſt Vetus umbra Novi prope lucida Teſtamenti,
Ejus compoſitum claris, viviſque figuris.
Circum orbem effuſis Noe erepturus ab undis
Humana cum progenie genus omne ferarum:
Partem aliquam ex omni ſpecie ſelegit, & arca
Grandi illa, & prima nave interclufit, & ævum
Diſſocians priſca gente e pereunte recentem,
Condidit, & fœdos ſubmerſit in æquore mores,
Mores, ſi redeant, dignos abſumier igne.
Servator Chriſtus major, meliorque Noëmo
Efformaturus ſobolem cæleſtibus aptam
Sedibus, ex alto terram deſpexit Olympo,
Et qua gente, inquit, ſobolem formabimus iſtam,
Quandoquidem tellus præter deformia monſtra
Nil alit, & brutis homo vix diſtinguitur ipſis?
Eja Petre, utendum eſt conceſſis. Ut tua vexat
Viſcera acuta fames, epulis ſaturaberis iſtis.
Dixit, & exhibuit prima inter fercula pardos
Panteraſque, tygreſque; deinde coegit ab alto
Milvum, ibim, accipitrem; mox tortos addidit angues,
Reptileque appoſuit menſis quodcumque ſecundis.
Talia Pontifici data ſunt convivia primo.
Totus ad hæc horret Simon, longeque refugit
Hoc ſatur aſpectu, famis ac oblitus iniquæ.
Sed detrectandum eſt nil Petro, nihilque morandum
Pontifici, debet faciem qui vertere rerum,
Et mutare hominum portenta a vertice ad imum.
Totis macte animis, Petre, macte & fortibus auſis.
Ut cibus attritu ſtomachi, calidiſque acidiſque
Particulis liquefit, reſque una fit altera, fiunt
Herbæ bruta, homines fiunt alimenta; benignis

Sic

Sic tu mutabis crudelia, noxia tutis,
Aſpera flexilibus. Mutat ſi fabula formas,
Et metamorphoſes pleno canit ore Poeſis:
Cur non efficiat divina potentia vera ex
Fictis? Euge Feræ; mutaminor, atque relictis
Terrificis formis miteſcite, ſicut eratis,
Nomina cum vobis dedit Adam. Tu tygris, iras:
Tu depone minas, Leo ſæve, jubamque ſuperbam;
Tu depone ungues, & roſtra rapacia vultur:
Vipera tu, reliqui & colubri, deponite virus,
Et triplici infixos immaniter ordine dentes.
Talia nam Petri grex non animalia paſcit.
Ergo quam accipient tot, tantaque monſtra figuram?
Terque quaterque Petro æternum teſtatus amorem
Vultu voce opera Chriſtus, Petre, inquit, amas me?
Noverat, & ſe iterumque iterumque ut novit amari,
Paſce meas, ſubjecit, oves. Qui creditus ergo eſt
Petro grex ovibus ſolis coaleſcit, & agnis;
Hos præter Cuſtos animalia nulla recepit.
Sed cur hoc? Quod ovis cunctis animalibus una
Præſtat, & excellit. Non eſt immunda, velut ſus;
Non petulans, ut capra: nec ut bos pigra; doloſa
Non eſt, ut vulpes: non eſt furax, nec avara,
Ut canis, aut felis: non turget bile ferarum,
Nec ſerpentum odio: communi veſcitur herba
Et modica, prato non illa ingrata, nec agro:
Non terram roſtro fodicat, nec tubera quærit:
Non reptat pedibus, nec frondes, nec ſua poma
Invidet arboribus; non pendet rupibus altis,
Præcipitatve gula: non denique more juvencæ
Laſcivit, nec equæ. Vitiis immunis ab iſtis
Multis ornatur virtutibus: utiliorem
Humano generi nullam natura creavit.
Dat lac, quo fiunt bis cocta coagula, quo fit
Caſeus, atque tener pingueſcit, & exilit agnus.
Hæc quam ſunt ſtomacho conformia; grata palato
Præ-

Præſertim ut carpit montana cacumina mater!
Hac ope dimidio Romæ propè vivitur anno.
Dat lanam: demta quæ reſtant tegmina lana?
Serica?homo tumet his mage quam veſtitur.Opertū eſt
Veſte nefas primum. retegit qui veſte ſuperbit.
Tela? nimis levis eſt, cum frigida ſibilat Arctos.
Lanam, inquam, dat ovis, cujuſque coloris amicam,
Corpora qua tegimus, qua ftigora pellimus, & qua
Solerti periſtromatibus ſubtemine textis
Fortia geſta ducum deſcribimus, atque Deorum.
Cum ſociabus habet pacem, ceditque minori,
Majorem ſequitur ſine murmure, ſole ſub illis
Defendit caput, illorum capita ipſa tuetur.
Uſquam eſt indicium ſinceri majus amoris?
Natum inter centum balantes noſcit, anhelans
Quæritat amiſſum, invento blanditur: ab undis,
A foveiſque, lupiſque rudem abſterrere videtur,
Et ſaltare hilarem proſpectum non ſinit ultra.
O matres, matres! brutam hanc audite magiſtram.
Præterea voces omnes, omneſque vocantum
Negligit illecebras: paſtorem agnoſcit amatum,
Solam ejus vocem diſtinguit, eamque faceſſit.
Sed quis ovis cunctas breve dicat carmine laudes?
Viva agnos patribus, carnem dat mortua plebi.
O ovis! O pecudum lectiſſima, dignaque ſola,
Efformare gregem divina in paſcua natum!
At dotes inter tantas eſt, proh dolor! una, aut
Altera de vobis, ovium gens cara, querela.
Muſſat vos rumor facile ſordeſcere, ſordes
Nec curare cito puris abſtergere lymphis,
Velleribus niveis maculæ nam protinus hærent,
Unaque ſepe facit maculas neglecta perennes.
Turpe quod eſt extra, maculatum denotat intus.
Quis labor eſt ad aquam latus inclinare fluentem?
Innumerabilum eſt ſocordia cauſa malorum.
Æquat vos ſuibus, vos æquat olentibus apris.

Huc

Huc accedit, onus quod non portatis, opuſque
Non ſecus atque lupum fugitis quodcumque, cubantes
Tota nocte, die tota, ſolerter edentes.
O ſanctas gentes, quibus implent otia ventres!
Scandala magna iſthinc patiuntur equique, boveſque,
Qui ſua perpetuo ſolvunt alimenta labore.
Addidit exiguis animis vanoque timore
Vos angi: Quid id eſt? Terret vos umbra, lepuſque
Præteriens centum diſperſit ſæpe bidentes.
O pudor! o ridenda aliis vecordia brutis!
Vi cedit virtus diſcors, unita reſiſtit.
Quin potius ſtatis junctæ denſo agmine contra?
Vincunt ſic vobis animalia multa minora.
Vidi ego capreolum contra adventante moloſſo,
Siſtentem quaſſare caput, pede tundere terram:
Cauda ille, & capite abjecto pudibundus abivit.
Ignoſci tamen hæc imbellis grex ſibi poſcit.
Sed gravius ſupereſt. Itis, non quo ſit eundum,
Sed quo itur. Si cui libuit præcurrere ſtultæ,
Nequidquam clamat paſtor, latratque lyciſca,
Grex totus ſequitur. Foſſam, ſilvamque vel amnem
Ingreditur, foſſam reliquæ, ſilvamque profundam
Ingrediuntur, aquæ nec aperta pericula curant.
Semper prava trahunt ingentem exempla ruinam,
O ſtultum nimis armentum! ruis in mala certa
Ut dubia effugias. Siqua eſt errare parata,
Errat multa nimis damnis ingentibus agna.
Erret ſola: bonus Paſtor per devia quæret
Rura per & ſentes, nec ſpinis parcet acutis
Objectare caput, nec pectora mille periclis
Paſcua dum reliquæ ſecuro in gramine carpent.
A primo Petrus didicit Paſtore, docetque
Quæ veſtri ſit cura gregis, quo rete tenendus
Nocte intempeſta, quam ſit ſolvendus in oram
Mane, quibus demum ſit tempore quolibet armis
Tutanduſque lupis, tutandus & acribus urſis.

Non

Non vobis lanam minuet ſub tempora brumæ,
Imo vos paſcet foliis caulaque fovebit.
Non vos deglubet tondendo, vertet in hoſtem,
Non in vos baculum, ſed amico corriget ore
Siquid peccatis: portabit, ſi qua ſit ægra,
Aut ſublatam humeris, aut in complexibus arctis.
Nomina nam noſcit, vocat & per ſingula quamque
Ægris compatiens morbo velut æger eodem.
Quid non pro vobis faciet, qui occumbere morti
Non metuet, veſtram dum ſervet morte ſalutem?
At jam ſervavit. Quid ago? vel quid moror ultra?
Roma fuit quondam variis animalibus illud
Vas plenum. Horribiles Petro inſtituente figuras
Mutavere in oves. Hæ nos ſumus. Eja Parentis
Paſtoriſque boni vocem, quæ plurima ab Urna
Nunc quoque terrarũ tonat ultimo in orbe, ſequamur,
Eſſe ovium moniti prudentem ſimplicitatem.

SERMO.

Laudo, Marce, tuos in Palladis arte labores,
Et quos a ſtudiis fructus huc uſque tuliſti:
Sed tot emendorum fervens prurigo librorum eſt
Dira intemperies, mihi crede, potenſque labores
Non ſolidos, nec adhuc maturos perdere fructus.
Dic mihi, naturæ quæ menſa ſalubrior, illa,
Fercula quam centum, grandes totidemque lagenæ
Plus onerant, nigrum quam incus Vulcania truncum;
An quam tres patinæ quatuorve atque amphora duplex,
Altera major aqua, vino minor altera plena
Exornant moderate? Illa conviva recedit
Pallidior buxo, fragis rubicundior iſta.
Cur ita? Quod modicus venter modica indiget eſca;
Obruitur nimia. Cœna glutitus in una
Mullus cum trutta, cum apro lepus, atque palumbus
Cum fulica ſparſo per ſingula aromate multo;

F Ma-

Mala, pyra, artocreas, montanus caſeus, oris
Advectum extremis vinum, dulciſſimus humor,
Caffæumque geluque rigens cocolata teumque,
Sique alia invexit peregrina vocabula luxus,
Uno quid facient ſtomacho commiſta? Neceſſe eſt
Tanto victa acido maſſa putreſcere, corpus
Inficere, & venas humore implere maligno.
At valet ille diu, ſervatque in corpore vires,
Qui bovis elixo dodrante duobus & aſſis
Turdis & pomo maturo veſcitur, uſus
Exiguis cyathis fumoque carente culina.
Hoc eſt dicta tibi exemplo ſententia. Mens eſt
Ut ſtomachus quidam, libri quædam eſca: adoleſcens
Qui ſapit, & properat ſtudiorum attingere metam,
Seligit auctores, & pectore digerit imo
Tres quatuorve bonos. Parvis ſapientia nata eſt
Principiis, ſenſim & reperit dialectica verum.
At tu librorum inſatiabilis helluo, apertos
Sæpe decem in pluteo percurris mente oculiſque
Ut ſatur, idque magis tibi quod nocet, e variis ſunt
Depromti forulis, diverſaque prorſus agentes.
Melchior hinc Canus, noſter Borellius inde,
Vida, Metaſtaſius, Corſinus, Cujaciuſque,
Auctores, non inficias eo, nomine clari,
Sed nimis excedens anguſto pro lare turba.
Numina Baucis inops duo vix in tecta recepit,
Plures nequidquam pulſaſſent oſtia divi.
Quid valeant humeri tentandum eſt; exere robur
Omne, feres ſolum vix uno tempore Canum.
Pignore vis mecum certare, quod occiput hærens
Scalpes, ſi poſco quid libri pagina prima
Continet; aut ſiquid reſponſum dixero contra,
Te non expedies? Tamen omnia congeris, atque
Miſces philoſophos, vates, legumque-peritos,
Et totam inglutire hauſtu vis Pallada in uno.
Hanc apage ingluviem. Seniores novimus, artem,
Di-

Diſcere quam prima ſolam incœpere juventa,
Non bene callentes: tu imberbis ſcire laboras
Omnia. Contracto levis es velut amphora collo;
Undam guttatim effundens implebis, at ingens
Effluet, & rumpet fors debile copia vitrum.
Paucis ergo libris rem complectentibus unam
Nunc intende animum: cognôris quum penitus rem,
Ad fontes alios properabis. Non aliter fit
Clarus vir ſtudiis & dignus imagine macra.
Ars eſt longa, brevis vita; arte excellere bina
Viſus adhuc nemo poſt ſecula multa: recentes
Confer cum priſcis auctores, inſpice fontes;
Quod quiſquis voluit ſimplex dumtaxat & unum eſt,
Nec magnam meruit complexus plurima laudem.
Ergo vagum ingenium certis includito metis,
Aut prædico brevi exhalandum more vaporum.
At quis tot ſe inter tam docta volumina, tamque
Splendida contineat? Minus auro terga relucent,
Quam veluti verborum gemmis interiora,
Et rerum invadente oculos animumque nitore.
Includam hæc juſſis monumenta illuſtria metis.
Namque docent variis hominum de moribus & de
Relligione: novas ſalibus res atque lepore
Multo conſpergunt. Neſcit qui talia, nullo eſt
In numero, nullo eſt, qui non capit extera verba:
Quin ſtudio diſcit nonnemo Britannica toto.
Tanta animi me, Marce, rapit moderatio: namque
Non ultra Europam præfixiſti tibi metas.
In pretio longe ante alias hoc tempore noſtra eſt
Lingua; diſerta adeo præclaraque ſenſa feruntur
Hoc ſermone: nihil non docte, non ſapienter
Scriptum oculis præbet. Sed opus diſcernere multum,
Cuncta nec amplecti: nam ſæpe ſalubribus herbis
Subrepunt angues, concreſcunt ſæpe cicutæ.
Totus ſplendide amat Septentrio ſcribere, totus
Splendide & Occaſus. Non eſt regionibus illis

Una Fides, non eſt mens tot ſcriptoribus æqua.
Negligit hic Superos, Sacra non probat ille; futuram
Quidam animam dubitat poſt funera, crimina quidam
Nulla putat. Quid enim labefacta Relligione
Moribus eſt tutum? Quid non licet, eſt ubi rerum
Arbitrium dominans & pro ratione voluntas?
  Auctorum ſiquid coram lectoribus horum
Virtutem redolens dices facieſve, cachinnis
Excipere velut corde expers conſilioque.
Explodere, minas ſi dixeris eſſe Tonantis
Concuſſam horrendum ſinuoſo turbine terram;
Si ſubitum pœnas violati Numinis ignem
Dimidias urbes populatum, ſi tumidum amnem
Noctu homines miſtumque pecus parteſque domorum
Aut ripa ejeciſſe, aut evolviſſe ſub æquor.
Quippe putant cœco ferri mortalia caſu
Omnia, nec noſtri tangi ulla Numina cura.
Heu! miſeris tantum libri nocuere profani.
  Hoſce jube auctores tu tempus in omne valere.
Afflant virus enim, tacito quod viſcera tabo
Intrat, & in ſeros interdum prorogat annos
Funera. Non ſenſit cito, qui bibit, imo negavit
Jam ſuetus morbo externa ſe peſte perire.
Dilige, ſcribuntur qua nobis omnia lingua, &
Selige: namque bono melius nil forſitan uſquam eſt.
  Denique, Marce, ſtude magis ut ſis relligioſus,
Quam doctus, quam philoſophus. Sævo eſt metuenda
Angue magis, quæ non probitate ſcientia pollet.
Verſa & conde animo quæcunque volumina ubique
Sunt, te doctrina ſuperabit ruſticus Ægon,
Qui, dum erras, veri callem ſectatur & æqui.
O Marce! o quantum eſt noſtra in ſapientia inane
Diſce hærere Deo: replet vacua omnia ſolus.

IGNA-

IGNATIUS A CRUCE NEAPOLITANUS
Auguſt. Excalc.

INTER ARCADES

DASMON ANDRIACUS.

DE DEIPARÆ CONCEPTIONE.

ECLOGA.

DASMON, ET THYRSIS.

Daſ. PArthenidis laudes, & grandia facta canamus,
Paſtores: Redit ecce dies, qua nulla refulſit
Candidior, formoſa dies, quam ſecula tandem
Tot poſt annorum curſus, poſt mille gementum
Vota Prophetarum, terra plaudente, tulerunt.
O felix, o fauſta dies! Jam criminis expers,
Et procul impura priſcorum labe Parentum,
Concipitur Virgo, ſterili Genitricis in alvo,
Virgo decus Cœli, ſuperum jucunda voluptas,
Orbis amor, ſummum Virgo paritura Tonantem:
Quam primis olim divino numine Vates
Temporibus cecinere, ſuis quam oracula miris
Promiſere modis, miſeris mortalibus ægris.
O quæ conciperis Judæ de ſanguine Regum
Intemerata, hominum Mater dulciſſima, ſalve.
Arcades o quibus eſt animi vigor, atque canendi
Virtus, conceptam cantu celebrate Puellam.
Egregium victoris erit pro carmine munus
Effigies, blandam, quæ picta coloribus offert
Parthenidis formam, virtutum ſymbola, & omnes
Quos retulit ſtygio devicto ex hoſte triumphos.

Thyr. En adſum, Daſmon, tecum certare paratus.
Feſta dies hæc eſt, alterno ludere cantu
Eſt animus: dignum cantemus Virgine carmen.
Daſ. Incipe ſi quid habes; te pone ſequar: mihi carmen,
Muſæ, noſter amor, concedite Virgine dignum.
Thyr. Cingite Apollinea, Vates, mea tempora lauro.
Cum medium nuper Cœlum nox atra tenebat,
Mille ſuo Lunam ſpargentem lilia vultu,
Aſpiciens, dixi: ſummo ſic fulget Olympo
Parthenis, & ſuperos inter ſic illa Beatos
Incedit, Regina potens dominatur & aſtris.
Virgo Parens, alio celebrent te nomine Vates,
Semper ego Lunam, mea vel poſt funera, dicam.
Daſ. Cingite Apollinea; Vates, mea tempora lauro.
Cum præceps nuper nox inclinata ruebat,
Auroram roſeo ſpargentem gaudia vultu
Adſpiciens, dixi: divinam Aurora Parentem
Exprimit: oh noſtræ quam bellè eſt Matris imago!
Virgineos nam ſola refert Aurora triumphos.
Virgo Parens, alio celebrent te nomine Vates,
Semper ego Auroram, mea vel poſt funera, dicam.
Thyr. Nocti Luna præeſt; ſomnum nox alma miniſtrat;
Somnus alit vires; floreſcit viribus ætas.
Virgo præeſt paci; pax gaudia, gaudia terris
Aurea ſecla ferunt, ſolvunt formidine Mundum.
Daſ. Solem Aurora parit; radios ſol explicat; orbem
Inluſtrant radiorum imbres, & luce coronant.
Virgo Deum genuit; mortem tulit iſte; ſalutem
Mors peperit; Mundus vitam hinc, lucemq; recepit.
Thyr. Cum redit, & pleno flammas dat Cynthia vultu,
Ceu famulas inter ſtellas Regina coruſcat.
Talem te populi, Virgo, ſuperique ſalutant,
Teque ſuam obſequio Dominam cognoſcere certant.
Daſ. Aurora redeunte, cadunt jam ſidera Cœlo,
Luna latet, Dominam agnoſcit, Cœlumque reſignat.
Concipitur cum Virgo Parens, non ora tueri

Au-

Audent Cælicolæ, ſed magnum nomen adorant.
Thyr. Purior argento ſplendet, dat lilia vultu
Luna; per argentum, per lactea lilia præfert
Virginei candoris opes, quibus una pudorem
Exſuperat Virgo, quibus una fit æmula Nato.
Daſ. Feſtivas Aurora roſas, aurumque curule
Explicat; illa roſis divinum oſtendit amorem,
Quo Lunam, & Stellas, Solemque accendis; & auro,
Virgo, tuas recludit opes, quibus omnia ditas.
Thyr. Luce ſua noctem, atque lupos ſub nocte latentes
Luna fugat, ne forte ruant, & ovilia perdant:
Luce ſua nos Virgo regit, nec retia tantum
Illa docet, ſtygium ſed retibus implicat hoſtem.
Daſ. At noctis latebras aperire, & ludere parvum eſt:
Noctem Aurora domat; fraudum quod retia Virgo
Vertat in auctorem, nihil eſt; quod fuderit Orcum,
Hoc decus; hoc opus, hic dignus labor Heroina.
Thyr. Pinguia ſi noſtris miramur paſcua campis,
Rore ſuo noſtros fœcundat Cynthia campos:
Si pietas populos regit; & concordia Reges,
Per te, Virgo, regit; tu vena perennis amorum es.
Daſ. Si grex gaudet agris, & lacte tumentia ſemper
Ubera fert, Aurora, tuum eſt. Si fœdere gentes
Divino gaudent, & fœderis otia captant,
Te fœdus, Virgo, te noſcunt otia fontem.
Thyr. Stat contra, & radios adverſo Cynthia ſole
Haurit, & in terras ſpargit. Stat proxima Nato
Diva ſuo; fert ecce preces, & munera mille
Ducit; & in populos, quæ duxit, munera ſpargit.
Daſ. Quid radios memorem? dat Solem Aurora: quid illo
Pulchrius eſt, aut eſſe poteſt? cur munera laudem?
Quando ipſum dat Virgo Deum, quo ſola triumphat
Tellus, atque ipſi non invidet æmula Cœlo.
Thyr. Ut Phœbo faveant, plauſum dant aſtra ſorori,
Et rerum Dominam tellus; Cælumque ſalutant.
Ut Domino placeant tellus, mare, ſidera, magnæ

Quot poſſunt Matri laudum præconia libant .
Daſ. Auroram Sol ipſe canit, Matremque fatetur
Ecce ſuam, quid plura ? ſuæ Sol præco Parentis eſt.
Te Matrem, Virgo, celebrat Deus: ergo quid ultra
Expediam ? Deus uſque vocet te Virgo Parentem.
Thyr. Victor eris, paſtor, mihi ſi nunc carmine dices,
Cynthia cur niveo rutilet ditata decore ?
Daſ. Victor eris, paſtor, mihi ſi nunc carmine dices,
Cur terram exhilaret, victis Aurora tenebris ?
Thyr. Paſtores edera mea cingite tempora; vicit,
Vicit io, auguſtum referens mea Luna triumphum.
Daſ. Paſtores, edera mea cingite tempora; vicit,
Vicit io, auguſtum referens Aurora triumphum.
Thyr. Luna fave, noctemque doma, dum mille periclis
Noſtra ſalus agitur; duce te, potiatur Olympo.
Daſ. Sis felix, Aurora; tuum da viſere Solem,
Poſt noctem, fac te laudem cum Sole Parentem.
Talia cantabant Vates, quos Virgo canentes
Audiit; audiſſet, ſi plura, & plura dediſſent
Carmina; divinam delectant carmina Matrem.
Interea geminae volitarunt æthere palmæ,
Altera Daſinonem, quæ cingeret altera Thyrſin.

IN IDEM ARGUMENTUM

CARMEN.

Poſtquam fatali decerpſit ab arbore pomum
Nec divum Numen, divas nec ſpernere leges
Erubuit nimis uxori male credulus Adam;
Ante Deum, meritas poſcens pro crimine pænas,
Adſtitit, & ſummi genua amplexata Tonantis,
Juſtitia æquato librans examine lances:
Multaque flammato ſecum quoque corde volutans
Supra hominum cladem, ſupplex his vocibus uſa eſt:
Ecquid adhuc culpæ reſtat ? neque meta, moduſve ?
En

En nova ſuccreſcunt ſcelerum contagia Mundo.
Ipſe hominum primus, terreno pulvere cretus,
Cœlitibus dare jura, & rerum flectere habenas,
Seſe æquare Deo, nil penſi ducere leges,
Adfectare polum, & detrudere numen Olympo,
Audet proh ſcelus infandum! Quin crimen adauget;
Namque Deum reus inſimulat, cauſamque refundit
Labis in auctorem Cœli, terræque, mariſque:
Nec facti pudet, ac veniam neque fletibus orat.
Hoc Adæ ſcelus. At ſontes abſolvere pœnis.
Haud nos jura ſinunt. Superi reſcindere Cœlum
Si adgreſſi, ſummumque Deum detrudere Regno;
Fulmine dejecti en ſtygio volvuntur in igne.
Eccur, ſumme Parens, homines patieris inultus?
O age, quid ceſſas? Adam fas perdere, & omnem
Perdere progeniem, fœdum genus inde trahentem.
Dele hominem, & meliore luto mortale refinge
Adamidum genus. Huc nunc o properate procellæ,
O huc ardentes atra caligine flammæ,
Horrendæ huc properate umbræ tortore flagello,
Irruite, & tantam terris avertite peſtem.
Hæc effata ſilet, ſpectandam in luce ſevera
Seque offert, ſua tela rotans exſpectat, & ardet
Conſilium vultu tegit, ac ſpem fronte recludit
Undabunda minis; cum conſtitit ante tribunal
Grande Dei, exitium deploratura ſupremum
Suppliciter triſtis; miti Clementia vultu;
Ingemit, & duplices tendens ad ſydera palmas,
Talia voce refert: ſummi o Regnator Olympi,
Si precibus locus, & miſerandi copia ſi qua,
Da finem ærumnis, & rebus conſule fractis,
Deſine pœnarum: ſatis eſt tua cognita virtus
Juſtitiæ; manes damnati ultricibus iris
Teſtantur. Si nulla homini ſpes certa ſalutis
Aſpiret, laus unde mihi nomenque, decuſque?
Æternum ſuperis, terriſque ignota manebo.

Et

Et licet innatæ Bonitatis jure ſuperno
Omne nefas odio tibi ſit; depoſcere pœnas
Commeritas nulla fatali lege teneris;
Namque abolere potes vel ſontum ſanguine crimen,
Vel potis arbitrio gentes abſolvere pœnis.
Quid ceſſas,Pater alme? hominum miſerere; perennes
Te per ego has lacrymas,dextramq;tuã,precor,Orbem,
O, precor, Omnipotens, modo tantis eripe damnis.
Eſt tibi vis animo, tibi ſumma potentia, lapſi
O igitur miſerere Adæ, quem devius error
Tranſverſum tulit incautum, populoſque nec omnes
Unius exſcinde ob noxam. Tot funera letho
Dedere, totque animas ſub tartara mittere, Cœli
Totque ſuis oras viduari civibus; iſtæc
Non tua fert Bonitas, placido ſi numine cernes
Quos late infecit Colubri vis dira veneni
Clade in communi Patrum, Mundique ruinâ,
O te quanta manent laudum præconia! gentes,
Et populi tibi thura ferent, tibi templa dicabunt,
Undique feſtivis onerabunt æthera votis,
Undique divinæ recinent Bonitatis honores:
Undique grande tuum nomenque, decuſque vigebunt.
Dicere mitis adhuc Clementia plura volebat;
At genitrix operum, rerum Sapientia Mater
Maxima, divinæ ſoboles atque incola mentis,
His mediis dictis ſermonem abrumpit: &, o quæ
Tanta repens (fatur) Cœlo diſcordia ſurgit?
O cohibete iram, & placidum componite fœdus.
Juſtitia expoſcit meritas pro crimine pœnas:
Et ſceleris veniam ſupplex Clementia poſcit:
Quæ veſtrum victrix? ictum jam fædus, & omnes
Compoſitæ leges: ego fœdera faxo potenti
Firma manu, & nunquam temeranda pace ſororum,
Quæ certant, magnæ abſolvam diſcrimina litis.
Tu caput infelix, Coluber, quia labis origo,
Atque omnis quia cauſa mali, ſententia quæ ſtat

Ac-

Accipe. Devoveo diris te in ſecula, verres
Horrendus maculis, multoque volumine teter
Ima ſoli, inviſus cunctis perque avia vitam
Exul ages, loca ſenta ſitu, atque horrentia tophis
Teſqua coles. Tibi victus erunt menſæque dapales,
Pulvereæ ſordes, & ſudor inutilis agri.
Quin tecum infauſto ſanxit quam fœdere pacem
Fœmina, quæ vetitos auſa eſt attingere fructus,
Dejiciam, funeſta & vertam in prælia, ut inter
Teque, ſatamque Evæ maculata e ſtirpe Puellam,
Atque tuum inter ſemen, ſemenque illius inter,
Æterni ſemper vigeat diſcordia belli.
Tempus erit, furiis quo tu inflammatus & ira
Et multa plenus ſanie, ſpumaque, venenoque,
Attolles furiale caput, criſtamque biſulcam:
Inde volubilibus contorquens nexibus orbes,
Terribilis toto maculato e corpore dirum
Virus in ora leges, elato pectore, multas
Inſidias, & damna ſtrues feralia plantis
Virgineis, talos irato ut dente laceſſas,
Cinctamque inficias divo candore Puellam:
At caput illa tuum, Cœli vi, conteret, & te
Singultantem animam vita, Regnoque potenter
Exuet, ac Stygio torquendum trudet Averno.
Ex hac naſcetur cœleſtis origine terris
Magna Dei ſoboles, magnum Patris incrementum..
O quantus ruet in bellum! quantoſque triumphos
Hic referet, cum ſe adverſos jactabit in hoſtes!
Abluet hic generis crimen commune, ſuâque
Et ſcelus, & maculas miſerorum morte piabit;
Unus qui Mundo moriendo reſtituet rem.
Hic Erebi portas pervadet, & impia caſtra,
Pallenteſque umbras, Stygiumque in ſede Tyrannum
Adgredietur ovans, vinctumque, & carcere clauſum
Imperio premet æterno, clarusque triumphis
Innumeris late, ſpoliiſque oneratus Averni

Cœ-

Cœleſti demum in ſolio immortale trophæum
Eriget, & victor cunctis dominabitur oris.
Qui tibi nunc animi ſenſus? num, Diva, recuſas
Parcere? num tali renuis miteſcere lege?
Quantæ molis erit Mundi reparare ſalutem!
Pone modum lacrymis ſupplex Clementia, cernis,
Magna nitet veniæ tibi ſpes: homo lapſus ab Orco
Jam revocatur; habes, quod totâ mente petiſti.
Dixerat, extemplo roſeos Pax aurea vultus
Exerit, ut Phœbus reſerat cum lumine Cœlum,
Poſtquam tempeſtas glomerans pluvialibus Auſtris
Eripuit lucem, atque æthram prætexuit umbris.
Sic Pax blanda nitens crinem circumdata olivâ,
Conſociat divas concordi lege ſorores,
Componitque ſuo decreto fœdere; mille
Oſcûla Juſtitiæ libat Clementia, namque
Concipitur cum labe carens Jeſſæa Virago,
Factum eſt in terris quidquid Sapientia dixit.

Dum Clemens Franciſcus utriuſque Bavariæ Dux Noricii Aretuſæi nomine inter Arcades acclamaretur.

E C L O G A.

Laurus, io, laurus! praecingite tempora lauro,
Arcades, exoritur noſtris lux aurea ſylvis.
En Cyrrhae renovatur honos; en Delphica rupes
Panditur; ecce novem redolentia ſerta Sorores,
Undique conlectis mediis de collibus Hyblae
Floribus, intextunt; Cytharaeque repertor Apollo
Ingeminat paeana; ſuos ad carmina poſcit
Pan vates; fremit Arcadicum nemus omne tumultu.
Namque coronatus regali tempora lauro,

En

En Clemens, ſoboles alto de ſanguine Divûm,
Mente potens, animo, & magnis virtutibus Heros,
Ingreditur ſoſpes Nonacria rura, choroſque
Inter Paſtorum patitur numerarier, atque
Noricius poſthàc gaudebit dicier; eja
Turba frequens Vatum, Paſtorum turba frequentûm,
Promerito veſtrum cognoſcite Numen honore.
Sternite humum violis, atque undique ſpargite flores,
Alba liguſtra, roſas, & purpureas calaminthas,
Narciſſumque thymumque immortalemque amaranthum;
Noricii ingeminent omnes memorabile nomen.
Vos o ſaltantes per florida rura Napeae,
Vos o Semideae Dryades, & Oreädes, omnes
O nemorum Nymphae redimitae flore capillos,
Vos magno plauſu lapſae e convallibus altis
Excipite Heroëm, & manibus per mutua nexis,
O agite, & blandis medium luſtrate choraeis.
Cingite nunc Vatem phoebeae frondis honore,
Noriciumque omnes laeto clamore ſalutent.
Undique & Arcadiae ſaltus, ripaeque, lacuſque,
Flumina, convalles, longe & reſonabilis Echo
Noricii circum reſponſet amabile nomen.
O ſalve Arcadicis merito decus addite faſtis:
Accipe, quod Phoebus tibi plectrum tradit eburnum,
Et cane quae Iſacidum quondam vitavit in aula
Funera, progenies Jonathas invicta Saülis,
Dum populi votis retulit pro morte triumphum.
Te recinente, ſacro perculſi carmine montes
Gaudia teſtati ſaxoſa cacumina curvant,
Exultant agri plauſu, valleſque profundae,
Blandiri incipiunt feſtivo murmure fontes,
Jucundo volucres cantu geſtire per auras,
Verticibus ſummis durae ſe flectere Cedri,
Fagi etiam, quercus, caput & motare Cupreſſi,
Et ſtupefacta ſuos compeſcere flumina curſus.
Te recinente, novo quoque Titan concitus oeſtro

Ala-

Alatoſ medio cogit ſubſiſtere Coelo
Laetus equos : per prata boves , per rura capellae ,
Atque agni tenero mites ſub gramine ludunt .
Ipſi Paſtores , ſylveſtria Numina Panes ,
Et Fauni agreſtes , & montivagi Sylvani ,
Et Satyri inſuetis redimiti cornua ſertis
Auribus intenti accipiunt tua carmina plauſu .
Arcadia o felix Heroüm mater , & altrix !
O ſemper tibi fauſta dies , ſemperque colenda !
Noricii o noſtris ſemper memorabile ſylvis ,
Noricii nobis o ſemper amabile nomen !

JAm tres Arcadiæ Cuſtodes : ſcilicet olim
Nata eſt auſpiciis , Alphesiboee , tuis :
Phylacidae ſtudiis crevit : ditata decore
Miraei fauſto numine perficitur .
Arcadas ille parit ; fovet alter ; tertius ornat ,
Fulgeat ut titulis docta caterva novis .
Quis major ? certatur adhuc ; ſub judice lis eſt :
Nec mihi fas finem ponere diſſidio .

PETRUS ANTONIUS SERASSIUS
Bergomas

INTER ARCADES

DESIPPUS FOCENSIS.

DE NUNDINIS BERGOMATUM.

EPIGRAMMA.

O Decus Auſoniæ , urbs o ditiſſima Salve ,
Quæ merces Europæ excipis una ſinu :

Non

Non tecum certare auſint opera ulla, vetuſto
Tempore Romanæ quæ poſuere manus.
Non Fora quæ Hadriacas Dictator Cæſar ad undas
Struxerat, aut mediá Livius Æmiliâ.
Tu centum cumulata bonis ad ſidera ſurgis
Divitiiſque novis jure ſuperba nites.
Hic operum quidquid diviſique orbe Britanni,
Aut dedit extremis India littoribus:
Hic aurum gemmæque, & tinctæ murice veſtes,
Quidquid & arguta fœmina pinxit acu.
At niſi creſcentem ſtudeas compeſcere luxum,
Te poterunt tantæ perdere divitiæ.

De Nuptiis Thomæ Luzzaci, & Comitiſſæ Helenæ Mazzuchelliæ Nobilium Brixianorum ad Agindum Drubilianum P. A.

NOn ideo tecum de pulcra hac conjuge dixi,
Hermionem forma vincere & Hypſiphylem,
Quod ſatis id ſcirem cauſæ, cur inclita nobis
Muſarum & Veneris munera, Aginde, dares.
Sed quod divæ animum formæ ſimilem eſſe viderem,
Inſigni excultum relligione animum;
Ingeniumque capax rerum, ſtudiiſque Minervæ
Florens, queis tanto eſt digna puella Patre.
Hoc decore, atque adeo tantis virtutibus aucta
Vel docto incedit ſuſpicienda viro.
Ergo age dic Thalamos mecum & Connubia læta
Virginis, o adſis o Hymenæe Hymen.

DE CÆSARE AUGUSTO.

DUm Romæ imperium felicibus arrogat armis,
Nil fuit Auguſto Cæſare perfidius.
Aſt ubi pacatum latè ſibi ſubdidit orbem,
Mitior Auguſto Cæſare nemo fuit.

CA-

CATHARINA BORGHINIA
Piſana

INTER ARCADES

ERATO DIONE'A.

AD FRATREM.

ELEGIA.

CUm Patriam, dulceſque lares, caroſque Parentes
  Teque tuæ dolui linquere tecta domus;
Tyndaridas Phœbus, cæleſtia ſydera, Fratres
  Luſtrabat roſeis conſpiciendus equis;
Nunc Amythaonias propius videt ille ſagittas,
  Quas rotat Æmathij dextra coruſca ſenis;
Ex illo te Roma tenet: mihi tædia noctes
  Continuant mæſti tædia longa dies.
Ah quoties ad te celeri properare volatu
  Optavi, & liquidas findere poſſe vias!
Me Romæ veneranda quidem monumenta juvaret
  Diſcere, & auguſtas Principis Urbis opes;
Et fora, & heù nimium Capitoli mobile ſaxum,
  Templaque Tarpeij ſemiſepulta Jovis,
Et quæ venturis miranda Nepotibus olim
  Tot doctæ Artificum compoſuere manus.
Hæc ego (nam novitas cui non gratiſſima rerum.)
  Si præſens poſſim cernere, quanta forem!
At Romæ non iſta prior mihi cura, nec iſte
  Præcipue, juro, pectora verſat amor.
Primus amor tecum curas iterare relictas,
  Rurſus & antiquos inſtituiſſe dies,
Primus Amor doctas mentem coluiſſe per artes,
  Muſarumque ſacris applicuiſſe manus;

Dul-

Dulce fuit doctas Pindo deducere Divas,
Quam fuimus tali lætus uterque choro,
Dulce fuit longas ſociis dare talibus horas,
Quam celeres viſi præterijſſe dies!
Seù Maro non uno redimitus tempora ſerto
Divinâ caneret Martia bella tubâ;
Seù numeris, facili mirandus & arte Tibullus
Tangeret auratæ fila canora lyræ.
Ut tenuit noſtras Venuſinus Horatius aures!
Ut tua te compſit, Naſo diſerte, Venus!
Viſa ſuo quoties felix Verona Catullo,
Cum latio priſcos funderet ore ſales!
Nil caræ nobis niſi dulce tulere Camænæ,
O mihi felici numina nata die!
Iſta fuit lætos tecum mihi vita per annos,
Florida dum curas paſſa juventa leves.
Me tamen heu! tecum curis inſiſtere iiſdem,
Et facili greſſus figere ſemper humo;
Non tulit ille tuus, qui te rapit altius ardor,
Sublimemque novum carpere juſſit iter.
Juſtitiæ domus alta vocat: Themis ipſa profano
Templa tibi reſerat non adeunda pede.
Felix, ipſa ſuis Dea quem complectitur ulnis,
Quæque dedit populis, diſcere jura jubet!
Cui pulchri leges, præceptaque dictat honeſti,
Ponderibuſque docet pendere cuncta ſuis.
Felix, quem facili reſpectant numine Divi,
Auxilioque boni, præſidioque ſovent.
Ante alios Lodoix Romano ſplendidus oſtro
Et vaticani Gloria rara jugi,
Alloquio facili, verbiſque affatus amicis
Regali ſacras afflat ab ore faces,
Præſentemque pati propius tua lumina ſolem,
Teque ſua ipſe ultrò fulgere luce jubet.
Aſt ego, dum felix iſto te Roma theatro
Excipit, in ſolâ langueo ſola domo.

Quod poſſum Aonias, mea Dulcia Numina, Divas,
Pectora, quæ relevent cantibus ægra, vocem.
Vos o! Si teneris mihi me rapuiſtis ab annis,
Si Phœbum ex illo, ſi ſacra veſtra colo:
Vos deſiderium Fratris lenite Sorores,
Hoc mea ſit ſaltem nomine cura minor.

ELEGIA.

PArva, ſed apta mihi jucundo grata receſſu
Cellula deliciis facta beata meis,
Dulcia tu præbes miſeræ ſolatia ſorti,
Ægraque ſecurâ corda quiete foves.
Omnibus unus amor non eſt, non una voluptas,
Ingenii ſequitur ſemina quiſque ſui.
Ille colat latè Phrygiis innixa columnis
Atria Apellea conſpicienda manu
Alter inaurati quærat laquearia tecti,
Ærataſque fores, marmoreumque ſolum.
Me juvat exiguo convexi fornicis Orbe,
Me juvat anguſto delituiſſe lare.
Sint procul hinc pictique tholi, regumque ſupellex;
Quidquid & ignavum non benè vulgus amat.
Quam candor placet ille mihi, ſacræque tabellæ,
Quæ pompa eſt humilis non operoſa loci.
Quid referam ut latè fragranti invitet odore;
Sivè Hyacinthe tuo, ſeù roſa blanda tuo.
Adde, quod hic ſolis nitidiſſima gaudet imago
Ludere, & inſolita pingere luce diem.
Et videt, & mæret Phœbi ſoror æmula, nocte
Quod radios arcet clauſa feneſtra ſuos.
Hic fruſtrà timeas liquidas volitare per auras
Adverſa infauſtum, quæ canit omen avis.
Non hic nocturnus ferali carmine bubo
Inſtrepit, & diris ſtrix violenta modis.

Lu-

Ludit at exiguam circum Philomela feneſtram ;
Et varium docto fundit ab ore melos ,
Non captiva tamen cavea ; aut invita tenetur ,
Hoc ſpretâ gaudet Sylvâ habitare loco ;
Provocat illa meam feſtivo carmine muſam ,
Decertat noſtris æmula & illa modis .
Nec minus & placidus ſtudiorum feſſa diurno
Pectora demulcet noſtra labore Sopor ,
Hic quatit humentes allabens leniter alas
Hic oculos virga rore madente rigat .
Vix primis aurora tamen ſe tollit ab undis ,
Avolat , & ſtudiis nos vigilare ſinit .
Veraque ſuccedunt fugitivo gaudia ſomno ,
Succedit vultu læta nitente Salus .
Rumpere livor edax ? nihil hic violare veneno
Hic nihil obſcuro carpere dente vales ,
Hic ſtrepitu procul , & trepidi ſecura pericli
Clauſa tuo vivam Cella beata ſinu .
Sic quoque tuta latet ſolis cerva abdita ſylvis
Et tela , atque avidos deſpicit illa canes .
Nec timor eſt ſolam ne tædia longa receſſus
Corripiant , ſolam non locus ille tenet .
Affari coram , coram cognoſcere Divos
Cellula parva tuo ſcilicet orbe datur ;
Nec mage crediderim Tenedon , Pataræaque Regna
Pierium , & claram Delon amaſſe Deum .
Qualis cælicolis ſolet hic , quantuſque videri ,
Se quoties oculos obtulit ante meos !
Reddidit , & facilis reſponſa optata petenti ,
Et facili caſtas ebibit aure preces .
Nec mihi Caſtalias invidit Cyrrha Sorores ,
Sedula adeſt tantum turba ſequta Patrem
Et mulcere docet vocales pollice chordas ,
Et docet argutis jungere verba modis .
Gratia magna tibi hæc quiſquis dextro omine primus
Diceris induſtri tecta paraſſe manu .

Spiritus Elyſias ſemper tuus incolat oras,
Et tellus cineri ſit levis uſque tuo.
Haud querar adverſis malegratam vivere Divis,
Vota nec aerios noſtra tuliſſe notos.
Si mihi, quæ ſuperant mortalis tempora vitæ,
Cellula ſors tecum ducere grata ſinat.
Sic mihi deliciæ mentitaque gaudia vulgi,
Sic mihi & Attalicæ deſpicientur opes.

EMANUEL MARTINUS
Hiſpanus.

INTER ARCADES

EUMELUS OLENIUS.

ARCÆ

Peregrinationum comitis itinerum attritu, ac vetuſtate fatiſcentis.

ΑΠΑΣΤΕΡΩΣΙΣ.

ARca rigens clavis, & pelle Libyſtidis urſæ
Arca meæ facilis tu comes una viæ!
Heu miſeranda jaces attritu & pulvere fæda
Proſcinditque tuum plurima rima latus.
Compages etenim jam nullo inſignis honore;
Prodita villoſo tergore putris hiat.
Nec compacta manent, crebroque feramine ſordent
Ipſa ruinoſo lintea ſarta ſinu.
Quin etim ferrum decrevit tempore, & ipſa
Decipit incautas anſa caduca manus
Denique jam reddis ſordentem pulvere veſtem
Excipis & pluvium pervia tota Jovem.

Bis

Bis denas hyemes variis erroribus acta
Duraſti arcanis fida miniſtra meis.
Per freta, per ſcopulos, per inhoſpita marmora ponti
Trajectuſque vagos prætereuntis aquæ,
Per nemora umbroſa, & præruptas cautibus Alpes
Quidquid & obſtrepera tunditur uſque rota,
Hæſiſti domino, non fracta laboribus unquam
Aut onus obtrectans fune ligata gravi
Te primum Roma, repetens Tarteſſia regna
Deduxi ad patrios ſarcina grata lares
Per maris incerta, atque æſtus revolubilis undæ
Venimus ad campos Barcino pulchra, tuos,
Pergimus hinc pedibus, clitelliſque arcta ligarunt
Vincula te, facili non ſolüenda manu.
Jam Rubricati gelidas trajecimus undas,
Scandimus & Scalas, Annibal inde tuas.
Tarraco jam petitur ſublimi condita ſaxo,
Tarraco clarorum gloria Scipiadum.
Dertoſam hinc ventum atque ad lene fluentis Iberi
Ripam, a quo Hiſpanus nomina dives habet
Tandem me reducem complexu Oropeſa benigno
Fovit: vagitus audiit illa meos.
Stat rupes præceps ſcopulis prærupta malignis
Quam planus, ſed inops undique cingit ager.
Oppidulum obſcurum tenuique exſangue colono
Stat ſuper, excelſo conſpiciturque jugo
Hinc Boream gelidum verſus luciſque cubile,
Procurrunt montes eripiuntque polum.
Auſtrale hinc pelagus jacet, & maria alta pateſcunt
Oſtentatque ſuas pontus Eous aquas
Atque in conſpectu ſurgit Colubradia Cautes
Quam circumfuſi verberat unda ſali.
Telluris modico conſtringitur unda receſſu,
Et capit exiguas hoſpita facta rates.
Ad latus Eoum ſcopulo tutante carinas
Deſpicit iratos ancora jacta, Notos.

Hunc ſcopulum a forma capitis rictuſque canini
  Sæpe Cynoſrynchon ruſtica turba vocat.
Hoc natale ſolum; hic vitæ primordia noſtræ
  Hos nobis dederunt invida fata lares
Pergimus æquoreamque citi properamus Alonam:
  Hæc fuerat noſtræ meta petita viæ
Aerias rupes & muros ditis Alonæ
  Vidiſti, & ſtantes ungue tenente rates
Ter demeſſa Ceres, ter ſemina rure ſepulta
  Illa dum injunctum munus in Urbe gero.
Inde Valentinam læti migramus in Urbem
  Cujus odoriferos Turia findit agros.
Interea antiquæ luſtramus Sætabis aram,
  Quamque Urbem bifidis tu, Sucro, lambis aquis.
Haud procul Herculeæ ſurgunt monumenta Sagunti,
  Et manet antiquæ nobilitatis honos.
Ire lubet laceros luſtrare impenſius artus
  Et rudera, aggeſto ſaxa ſepulta ſitu.
Actum avibus nimium fauſtis, atque oſcine dextro;
  Namque vetus ſtudio gloria macta meo eſt.
Quippe diù neglecta prius ſine nomine ſaxa
  Inventu noſtro facta Theatra, nitent.
Hinc petimus patriam, & gentis cunabula noſtræ
  Illercaoniis nota decore viris.
Limine adorato, & luſtrato rure paterno
  Ad proprios redii, te comitante focos.
Illic dum lenti verſamur Olympias acta eſt,
  Signaque per celeres ſol quater egit equos.
Hinc iterum inſtabiles cogor transferre penates,
  Et Carpetana figere limen humo.
Mantua nos tenuit ſeptem complexa per annos
  Hoſtileis inter Marte fremente minas.
Baetica regna vocant, & rura patentia late,
  Quæ per aperta fluens Bætidos unda ſecat.
Scandimus ingrati Mariana cacumina montis
  Multum ſaxoſa te quatiente via.

Hinc

Hinc veterem feſſi pervenimus Illiturgim:
  Hinc muros petimus, Corduba docta tuos.
Aſtigis occurrit veteri ſpoliata decore
  Tu quoque oliviferis, inclita Carmo jugis.
Venimus hinc claram, notum per ſecula nomen
  Hiſpalin egeliga quam luit amnis aqua.
Italicæ cineres diſcerptaque membra ſaluto,
  Quæque vigent ſtudiis Amphitheatra meis.
Mænia Oripponis, Cauramque, Ugiamque præaltam
  Vidimus & campos, Aſta ſuperba, tuos.
Luciferi Fanum, Portumque Meneſtheos, æſtu
  Quem lavat alterno labilis unda maris.
Ad Gades ventum extremas, geminaſque Columnas,
  Queis non ſulcanda clauditur orbis aqua.
Flectimus inde gradum claramque redimus ad Urbem
  Hiſpalis & notis ſedibus hoſpitium.
Ergo dum verſo ſaxa, & monumenta vetuſta,
  Eſt quater æſtiva falce reſecta ſeges.
Mantua nos revocat ſaltus penetrare malignos
  Fors jubet, & poſitis apta ſalicta dolis:
Tu tamen accepti cuſtos fidiſſima ſemper
  Reddis depoſitas cura fidelis opes.
Excipit incolumes Urbs regia: cumque viderem
  Sponte decennales continuaſſe moras
Urbis Alonenſis petimus nutantia tecta
  Nec ſemel everſas Marte furente domos.
Fæda loci facies viſu, & teterrima imago
  Avertere oculos dulcis Alona meos.
Parva domi requies, curſumque peregerat annus
  Vix totum, inſtabili ſtat dare vela ſalo.
Ancora ducta tenax expanſaque lintea ventis
  Et data ſunt levibus ligna ferenda notis.
Narbonæ pelagus immane frementibus undis,
  Findimus: heu rapitur per vada ſalſa ratis!
Maſſiliæ Ionicæ portus intramus & amplum
  Complexu ſcopuli rupe premonte ſinum.

Hinc Genuam appulſum, ſed dira reflantibus Euris
(Horreſco) irato eſt ancora jacta Deo.
Nam ſimul injectus compes, tenſique rudentes
Puppim in abjectam proruit unda furens.
Et quatiens clauſas robuſto vecte feneſtras
Acrius incumbens excutit inde feras.
Ad miſere fores pelagus, teque ipſe natantem
Vidi & villoſæ terga madere feræ
Æquoris impactu aſſiduo proræque reniſu,
Viribus haud æquis ancora rupta triplex,
Vidiſti ſterilem, raroque ligone ſubactam
Terram quæque colit rura maligna Ligur.
Fugimus hinc maria alta, & remige legimus oras;
Sæpe per extremas palmula luſit aquas.
Immenſos ſcopulos, & ſaxa Liguſtica tandem
Vicimus; ante oculos littora Tuſca jacent.
Cœpimus optatam lembo volitante Liburnum,
Et ſtetit immoto tuta carina ſalo.
Pertæſi ponti rabiem, ſævaſque procellas
Lene per etruſcos continuamus iter
Ventum eſt jam Piſas, & pingues ubere glebæ
Campos, antiquis tecta ſuperba viris.
Jam facunda ſuas aperit Florentia turres
Perſpicuis mediam quam ſecat Arnus aquis.
Hinc petimus Senas veteremque videre ſodalem
Fert animus; conſtans oſcula junxit amor.
Jamque Urbem rerum dominam tarpejaque ſaxa,
Mœniaque audacis ſanguine tincta Remi
Cernimus. Advenit requies ſperata laborum
Servaſti clauſas arca fidelis, opes
Altera vix curva ſeges eſt demeſſa ſecuri
Flavaque ſolemnes, ſenſit ariſta manus;
Quum Præneſte tuas libuit ſpectare ruinas
Et præneſtinæ templa ſepulta Deæ
Undeni fulſere dies dum multa requiro
Sedulus obſeſſi diffugiumque Mari

In-

Inſpexi ſolers antiqua ſacraria Divæ,
  Et Sullæ lapidis verſicoloris opus.
Vidi Antonini monumentum nobile Villæ
  Veri immaturo quæ memoranda rogo.
Hinc Romam celeri reddunt nos eſſeda curſu:
  Heu facta es trita pulverulenta via!
En iterum nos fata jubent diſcedere ab Urbe,
  Et conductitiis ſubdere calcar equis.
Moenia Telegoni & priſci monumenta Catonis
  Viſimus & Villam, Marce diſerte, tuam.
Inter relliquias veteres & Tuſcula ſaxa
  Spectamus magni parva ſepulchra Furi.
Tendimus hinc Albam priſco cognomine Longam;
  Quæ fuit a nivea nomen adepta ſue.
Protulit hæc geminos, Romanæ exordia Gentis,
  Romule teque ferox, teque ſuperbe Reme.
Quos prius extractos ſervavit Fauſtulus undis,
  Et rumæ admotos pavit utrumque lupa.
Æneadum ſedes veneratus, nobile luſtro
  Tibur, ubi nunquam raſile pallet ebur.
Amphitrioniadis delubrum, & clara Sibyllæ
  Nomina præcipitem corripuere gradum.
Tuſcula tecta iterum petimus; nam figimus illic
  Sedes, dum rabidum ſidus hiulcat agros.
Dum ſpuit arentes morboſa canicula flammas,
  Atque aer flatu frigidiore fluit,
Ter fuit in ſeſe revolutus menſtruus orbis,
  Et ſuetum inſtabilis Luna peregit iter.
Urbem Romulidum repeto, & Capitolia celſa
  Et domino viduam, te comitante, domum.
Colligo ſarcinulas, levioraque vaſa repoſco,
  Et libros notis extrahimus pluteis.
Tum male compactis propere ſtipamus in arcis
  Et damus æquoreis dona ferenda Notis.
Nos juvat immoto veſtigia figere campo
  Et conductitia tundere prata rota.

Er-

Ergo cum dubia ruerent jam luce Kalendæ
  Octobris, linquo moenia Romulidum.
Venimus ad montem Roſuli, & tecta ampla Viterbi,
  Piſcoſaſque lacus Volſinienſis aquas.
Taurinas per aquas Phyſconiſque ardua montis
  Pergimus, uviferis prata ſuperba jugis.
Per Senas iterum Tyrrhenaque rura Lyburnum
  Veni: hæc terreſtris meta petita viæ.
Hinc tentata fides pelagi, & data lintea ventis,
  Aeraque purpureum ſindere juſſa fretum.
Et nacti placidos fluctus, Euroſque ferentes,
  In Genuæ portu conſtitit uda ratis.
Nec mora, poſt idus aperit lux tertia pontum,
  Et ſecat æquoreos prora recurva ſinus.
Hinc mugire fretum: & feralia murmura triſti
  Exaudita ſono, terribileſque minæ.
Incumbunt Cauri, volat uda carina per undas,
  Invitum fluctu percutiente latus.
Turgent immodicis Neptunia clauſtra procellis,
  Et candent toto ſpumea facta ſinu.
Reſpuit imperium clavus, nec nautica pyxis,
  Artis inops ſolitum reſpicit ægra polum.
Torpent attoniti nautæ, pavor omnia miſcet,
  Nec quaſſæ par eſt antlia multa rati.
Vi tempeſtatis per quinque volumina lucis
  Erramus pelago, dira fremente ſalo.
Sæpe ego te vidi revolutam & rore madentem
  Ire per infuſas, ARCA fidelis, aquas.
Tandem feſſa ratis Remuli ſtatione quievit,
  Libamuſque hilares oſcula multa ſolo.
Hinc nos jam lætos halieutica cymba recepit,
  Et tenui celſi litora Monachii.
Ventum hinc Antibum, remiſque, undiſque relictis,
  Admovi inſuetas ad nova fræna manus,
Dumque maris rabidi ſecuri carpimus oras,
  Squalebant miſeris litora naufragiis.

Maſ.

Maſſiliam hinc opibus florentem, & clauſa reviſo
Stagna, catenatis non adeunda feris.
Cumque graves pluvius rueret jam Scorpius imbres,
Ac miſere algeres tergore nuda feræ;
Attritu laceram veſtem rimaſque patentes
Hirta ſetoſi ſarcio pelle capri.
Pergimus, & gelidas Rhodani trajecimus undas,
Mirati campos, Urbs, Arelate, tuos.
Hinc nos excipiunt Peſulani mœnia Montis:
Rara venuſtatis gloria fœmineæ.
Urbs memoranda patet, quæ claræ nomina genti,
Et quæ finitimis nomina fecit aquis.
Perpinianæas arces, altamque Gerundam
Vidimus, & turres, Barcino clara tuas.
Poſt varios caſus tandem & diſcrimina rerum,
Certa diuturni meta laboris adeſt.
Urbis Alonenſis patet eminus ardua rupes,
Jamque ferus celſa Marſpiter arce tonat.
Accurrit Bulipho reduceſque ampleſtitur arcte,
Ac noto ſeſſos excipit ille lare.
Deliciæ Bulipho atque animi pars maxima noſtri,
Quos fidus ſtabili foedere junxit amor.
Nam ſtudiis ſimiles vinxit concordia mentes;
Cordaque fallaci non temeranda fide.
Arſi nempe virum ſolida virtute nitentem,
Et mirum egregiis dotibus ingenium:
Præterea ſanctamque fidem, moreſque benignos;
Et numquam infidis pectora tacta dolis:
Nec minus inſignem doctrinam, ac dona Minervæ,
Et claræ, fama judice, mentis opes
Jura etenim priſca, & veterum reſponſa Virorum,
Quam callet, noſtri ſanctaque ſcita fori!
Naturæ cauſas varias, momentaque rerum,
Si dubius quæras, cuncta retecta dabit.
Quid referam divinæ arcana Matheſeos, atque
Ardua monſtratu pervia facta ſuo?

Quic-

Quicquid in antiquis ſervarunt provida chartis
  Fata, nec aligeri diruit ira ſenis;
Omne tenet, ſeu pacatas juvat ire per artes,
  Seu bellatorum facta ſuperba virùm.
Argolica ſeu ſcripta manu, ſeu ſcripta latina,
  Utraque verſanti pagina nota ſibi.
Hos igitur luſus, & laxamenta laborum,
  Mittit & innocuos, muſa pudica, jocos.
Tu faciles verſus, & verba cadentia rite,
  Suſcipe, & æterni pignus amoris habe.
Multa ſuper notis, germano & Cæſare multa
  Dum rogat, heu præceps hora volucris abit.
Ille hic eſt Cæſar, quo non mihi carior alter,
  Grata nec eſt oculis res magis ulla meis.
Nobile præclaræ ſpecimen virtutis, honoris
  Culmen, & æternæ fœdus Amicitiæ.
Tandem poſt quam utrinque avidæ data tempora menti;
  Ad proprios remigras, ſarcina grata, lares.
Ergo jam tempus tuto requieſcere portu,
  O deſideriis, ARCA parata, meis.
Extera quæque mihi terraque marique valete:
  Errandi inſanus jam cohibendus amor.
At tibi fida ſequax erroribus inclita noſtris,
  Conferat emeritus præmia digna labor.
Vive diu incolumis, nec te tegat horrida pulvis,
  Morbida nec caries viſcera rodat edax.
Inſidioſa leves ne texat aranea telas
  In te, nec mures foetificent olidæ.
Humor iners nec te, nec ſtilla caduca fatiget,
  Tam gratum nec edax ignis adurat opus.
Utque exantlati referas majora laboris
  Præmia, fixa polo nobile ſidus eris.
Jamque appellabit te Graja carina ΚΙΒΩΤΟΝ:
  Tu ſolers ARCAM, nauta latine, voca.
Te exoriente hilares ſulcabunt alta carinæ,
  Et linquet clauſas navita tutus aquas.

Pla-

Placabis fluctus tempeſtateſque ſonantes,
Et dabis Alcyones, Stella benigna, dies.
Ipſa viatori ſplendebis lumen amicum,
Atque is ſecurum, te duce, carpet iter.

DE MVSÆO STROZZIANO

*In Laudem Præſulis ornatiſſimi Leonis Strozzii
Inter Arcades Nytili Gereſtæi.*

EPIGRAMMA.

MArmoreos vultus, antiqua Toreumata, Gemmas,
Ectypa ſolerti ſulphure ducta manu:
Myſtica ſyſtra, gravi Decreta inciſa metallo,
Arte laborati fragmina multa vitri,
Murrhea fruſta, truces, ſcenæ miracula, larvas;
Eruta longævo ſaxa diſerta ſitu:
Amuleta, novo pretioſa nomiſmata vultu,
Denſorum ingentes congeries lapidum.
Denique Naturæ, atque Artis Cimelia mira;
Præbet inexauſto Strozzia Gaza ſinu.
Cumque nova ſpecie niteat tam rara ſupellex,
Rarius at Domino nil habet illa ſuo.

BE-

BENEDICTUS THEODORUS FLORAVANTES

ex Acuto in Hernicis

INTER ARCADES

FALASTUS MANIACUS.

ELEGIA.

ARcadiæ Nemora, & Montis juga Nonacrini,
  Et loca Thæbanæ nota labore manus;
Tuq ue Alphæe Pater Nymphæ deceptus amore,
  Quæ verſa in liquidas te quoque ludit aquas;
Unde genus veteres olim traxere Quirites,
  Cum dedit Evandro terra latina larem;
Salvete; & poſtquam cuſtos gregis Alpheſibeus,
  Paſce tuos dixit noſtra per arva boves;
Nunc faciles iterum noſtras audite querelas,
  Et fera, quæ dudum vulnera fixit Amor.
Formoſis crudelis Amor me cæpit ocellis,
  Ut primum eſt oculis viſa Nigella meis.
At Pater, innuptæ tangit quem cura Puellæ,
  Ah Pater, ah puero ſævior Idalio,
Qui me perdiderat; hanc nè malus urerer ardor,
  Trans Mare, neſcio quo, miſit in exilium.
Dumque levi fertur mea lux ſuper Æquora cymba,
  Mollius algoſas Doris agebat aquas.
Æolus & clauſis aliis dat flamine leni
  Cana trucis Zephyro ſternere terga Maris
Hanc Pater Oceanus tacitus miratur euntem,
  Miraturque Thetis, Nereidumque chorus.

Cer-

Certatimque udis attollunt ſedibus ora,
 Et facili plaudunt ſigna ſecunda manu.
Atque aliqua ex illis, reliquis mirantibus, inquit
 Talis erat tauro vecta Puella Jove.
Talis cæruleá vecta eſt Venus aurea conchâ,
 Cum primum ridens Æquore nata Dea eſt.
Deſerta illacrymans extremo in littore Nutrix
 Erepta inſequitur carbaſa luminibus.
At mea perpetuo tabeſcunt lumina fletu,
 Cogor & ingratos ſæpe vocare Deos.
Ut dolor aſpectu formæ egereretur amatæ,
 Cum nequeam flammæ pondera ferre meæ;
Inſequor, & Navem, meque ipſi credere Ponto
 Juſſit Amor; ſed vix Cymbula tangit aquas:
Aſpera luctantes committunt prælia Venti,
 Et dubiam impellunt per vada ſalſa ratem,
Paſcere tunc timui deformes corpore Phocas,
 Et tumuli ventrem piſcis habere loco.
Victima Neptuno, promiſſaque victima Proteo;
 Pingue procelliferis thuſque, caperque Deis;
Votaque quæ rapidus ſecum fert irrita Ventus,
 Nauta quibus mediâ ſemper abundat aquâ.
Cærula, dicebam, Mare quæ regis Amphitrite,
 Et pleno in fluctus uteris arbitrio;
Et vos, qui gemino proſcinditis Æquora piſce
 Infernè, atque eſtis cætera membra homines;
Parcite jactatam Ventis agitare Carinam,
 Parcite, nè mecum ſorbeat unda ratem.
Vota Deos capiunt; ſubitò cecidere procellæ,
 Atque illæſa Ratis littora tuta ſubit
Vix Terram tetigi, Pelagi converſus ad undas,
 O Mare, tunc dixi, tuque Puella vale.
Et valeat tecum quiſquis maleſanus amores,
 Et ſequitur blandæ delicias Veneris.
Otia jam repetam Paſtorum, & paſcua nocte
 Tantum, quos facile vinco, petita lupis.

Parrhaſiumque nemus, quo conceſſere Camenæ,
Quo Phœbus latices tranſtulit aonios.
Gens ubi more Patrum ſine fraude, & crimine vivit,
Juncta ſimul ſancto fædere amicitiæ.
Nec pudet incluſos ſeptis educere Tauros,
Nec ſaturos tacitâ nocte referre Domum.
Ipſa etiam pavere greges, pavere Capellas
Numina, & agreſtes incoluere Caſas.
Amphryſi ad ripas pavit formoſus Apollo,
Ipſe per Arcadicos Pan quoque pavit agros.
Nam didici noſtro, quamvis ſit turpe, periclo,
Fidere nec Veneri, fidere neve Mari.

DITHYRAMBUS.

NEctite pampineis juvenilia tempora ſertis,
Et vagos hederâ impedite crines;
Lux genialis adeſt Patri devota Lyæo,
Quiſquis Io dicat, qui bona vina bibit.
Spumantes Cyathos mihi Falerno
Immixtæ Pueris ferant Puellæ.
Sed qui flammivomis conflas fornacibus æra
Mulciber, & Patruo Siculis contorta Caminis
Arma Jovi, tonitruſque æratâ incude ſonantes,
Imbriferam & pharetram, lapidoſaque grandine tela
Armigeræ Volucri per inane ferenda miniſtras,
Fac auream lagænam,
Inſtar lacus ſed Albæ,
Speculi vel Dianæ.
Quam circum auratis argenteus ambiat uvis
Pampinus, & Puero dator angulus unus, & alter
Formoſæ dabitur ſuccinctâ veſte Puellæ.
Nec trucibus magnum inſculpas Cratera figuris,
Pelidemve ardentem oculis, curruque furentem,
Hector Theſſalicis cum traheretur Equis.
Nec bella fingas, nec gigantæas Neces;

Non

Non impoſtum Pelion Oſſæ,
Nec vaſtum Inarimes clauſum ſum Rupe Typhæum,
Nec Thracium Gradivum,
Scythicum nec Bootem;
Nam quid mihi Bootes,
Quid Thracius Gradivus,
Mihi quidve Achillis ira?
Nec mihi Tarpejas rupes, ſaxumque Tonantis,
Porſena quod multo præcinxit milite; nec ſit
Qui Capitolinâ cognomina duxit ab Arce
Manlius, in mediâ experrectus ab anſere nocte,
Quem quondã incolumes habuere in honore Quirites,
Ille licet fruſtrâ canos imitetur Olores.
  At ſi fortè aliquas cuperes modò fingere rixas,
Finge Sabinarum raptus, cum Romula Pubes
Incautas inter luſus Soceroque, Patrique
Eripuit, pavidaſque nova ad Connubia traxit.
  Sed Cyatho in modio emergat Semeleja Proles,
Proles altitonantis Jovis,
Ignigena, iterumque ſatus,
Unicuſque Bimater,
Intonſuſque Thyoneus,
Nictyleuſque, Niſeuſque, Bromiuſque,
Et Jacchus, & Lenæus, & Lyæus, & Evan;
Qui latam croceis frontem circumdatus uvis,
Multoque vinctus tempora pampino,
Inflatuſque ſuo ferventes nectare venas,
Fronde coronatas maculoſas ſub juga Tygres
Victor agat, vinctaſque aureis compeſcat habenis,
Atque triumphali vectus per ditia Curru
Regna catenatos ſubmittat legibus Indos;
Divinoque ſimul furibundæ Mænades æſtro
Myſtica pampineis celebrantes Orgia thyrſis.
  Inde pigro Senior veniat Silenus Aſello,
Annoſá ſpargat albis
Senecta quem capillis;

Et Panes, Faunique leves, Satyrique ſequantur;
Nec deſinant procaces
Illudere arrogantes.
Capiti reponant ille
Pictas Roſis corollas,
Hunc juvet Aſſyrio barbam perfundere Amomo,
Tympanaq; & Phrygiæ Berecynthia Cymbala Matris,
Siſtrum, cavumque Cornu
Pulſet jocoſus alter.
Humeros ſuper toroſos
Temulentus alter Utrem
Plenum ferat Lyæo,
Seni & merum bibendum
E poculis miniſtret;
Spumantique alter conſpergat pectora muſto.
Ebria circum nuda Juventus,
Nebride lævum præcincta latus
Choreas ducat, thyrſumque rotet,
Nodoſoſque humeros tardè gradientis Aſelli
Stimuletque, perforetque
Rubiſque, carduiſque,
Genuque, calcibuſque
Urgeat, & Corium paliuris cedat acutis.
Tandem Senex ſepultus
Somno ſimul, meroque
Præceps ruens Aſello
Et ſit ludibrium, jocuſque Faunis.
Pocula ſint precor oh ſculptis minus aſpera ſignis;
Signa bibant nè prò me aſperiora merum.
At ſi fortè locus magno in Cratere vacaret
Integer, & nullis ſculptus imaginibus,
Effinge vel Amorem,
Veneremve Matrem Amorum.
Illius & lateri ſiccantem pocula fingas
Thejum Senem canentem,
Innixum Cyatho titubantem, & vina vomentem,
Eru-

Eructantem oculis madidum & ſub naribus ignem.
Pocula ſed nondùm Ethnæo Cyclopibus antro
Efformare datum? Torquet ſitis ardor anhelum
Pectus, inexpletæ atque arent in gutture fauces.
Quiſquis ades celer arma Puer, carcheſia nobis
Magna fer, & puro ſpumantia Cymbia Baccho,
Poculaque, & latos Cyathos, Pateraſque capaces,
Crateremque,Scyphûque,Cados,Phyalaſq;profundas,
Obbas, Tinas, Amphoram,Utreſq; ſimul; volo namq;
Noctes, atque dies totus maduiſſe Falerno.

PETRUS PAULUS BAJULIVUS MARCOLINI
Fanenſis

INTER ARCADES

FANETES TRACHIUS.

*Ad Fridericum Chriſtianum Poloniarum
& Saxoniæ Principem inter Arc.
Accl. Luſatium Argiræum.*

QUandoquidem Muſis indulges,Optime Princeps,
Regalique iterum dignaris Numine ſacros
Arcadiæ colles; latè Chorus unde Latinus
Hoſpite tam magno ambitione ſuperbit honeſta:
Si quantum cuperem, poſſem; Tu carminis eſſes
Principium, Tu finis; Tu ſpes, deliciæque,
Laus, & Amor Romæ, populorum gaudia, Sanctis
Moribus, & veris virtutibus, Urbis, & Orbis
Grande Exemplû,atq;Ornamentû,Maxime Princeps;
Sed mihi deficiunt vires pro talibus auſis,
Quæ tentare pudor vetat, & timor: hoc tamen unum
Quod patet omnibus, & fruimur, concede fateri;

Acceſſu quoſcumque tuo excipis; hoſce neceſſe eſt
Devinctos impenſe Te colere, obſequi, amare.
Interea patientem præſta, ſi placet, aurem
Dum priſcam ætatem meditor conferre recenti.

SERMO.

SÆpe ego temporibus revocans diſtantia noſtris
Tempora, quæ ſtudia, & mores, quæ commoda Vitæ,
Et quos priſca Viros, atque Artes attulit Ætas,
Mecum agito, dum ſorte domeſticus otior, aut dum,
Aggere in aprico ſpatior; ſicut meus eſt mos.
Non ita Tu ſterili cura, ſterilique labore
Otia muta foves, Maffeje, ſed aurea poſtquam
Edideris dextro ſignata volumina Phœbo,
Romanū quodcumq; & Græcum, quidquid Hetruſcū
Uſque adeo ignotis, cæciſque latentia ſignis,
Eruere ex imis latebris ſtruis, intactiſque
Illuſtrare notis, ſerum vincentibus ævum.
Felix ingenio, & calamo, qui doctus, & acer
Scribis quæ laudet livor quoque: Talibus impar
Auſpiciis, nulloque potens ſermone, nec arte
Abſtineo prudens calamo, contentus in omnes
Ætates tacitus circumferri, ac velut hoſpes
Gratus, quo lubet, ire, recluſis undique portis.
Sæcula nunc recolo, quibus iracundus Achilles
Argivos impune minax, Briſeide rapta
Urget, & irritat: quam dulce eſt Neſtoris ore
Pendere; heu nimium nocituras demere lites,
Inter Peliden ſatagentis, & inter Atriden.
Nunc Comes Æneæ Terris jactatus, & Alto,
Ingredior Lybiam, Phæniſſa ubi grandia Dido
Fundamenta novæ locat Urbis; fervet ubique
Impatiens operis labor; at male cauta venenum
Poſtquam oculis Regina bibit, penituſque medullis
Accepit, pendent opera interrupta, jacentque

In-

Inſtrumenta Artis paſſim ſine honore: moror dein
Hic ubi fraterno maduerunt ſanguine muri,
Romuleam ſpectans ſobolem, quibus Artibus,& queis
Aucta incrementis, Dominam ſe præſtitit Orbis.
Hac ego Naturæ fines ratione, modoque
Temporaque exiguæ conor producere Vitæ:
Nam niſi Nos ævum docti remeare peractum,
Præteritoſque diu ſtudeamus noſcere faſtos,
Corvis Sors noſtra, & Cervis vivacibus eſſet
Deterior: quando natura coercuit uſum
Vivendi humano generi, ne forte tumeret;
Haud doleas tamen, inquit, cum valeas animo,& cum
Mente queas longa, primaque ab origine mundi
Vivere, ni demens utaris viribus iſtis,
Utitur infelix oculis, ceu lippus, inunctis.
Sed tamen in vitium verti ſolet, & reprehendi,
Temporibus dare plus æquo, & concedere priſcis,
Ut plerique volunt, illis & cuncta referre.
Naturæ veluti longo molimine Vires
Exhauſtæ fractæque forent: ſit honos cuicumque
Ætati, pretium demat, neque priſca recenti,
Nec quiſquam alterutram ſanus cauſetur inique;
Sæcula quæque ſuum ſervent decus: optima quando
Rerum humanarum Natura Parens ſibi ſemper
Conſtans ceù Terris Sol, & mare piſcibus, una
Omnibus omni tempore, ceſſantiſque ſenectæ
Neſcia; ſpargens ſeſe motu fertur eodem
Nunc, ferri prima quo tempeſtate ſolebat;
Nunc nitidæ ſurgunt fruges, ut ſurgere viſæ
Dum Cereris ſtabant Aræ, nunc fronde vireſcunt,
Et Lauri, & quales redimito Cæſare quercus:
Præſenteſq; Avibus canere, & ſtrepere undiq; Sylvas
Audimus, pulchram quales Amarillida quondam,
Tityrus alternis reſonare docebat avenis:
Ergo eadem Natura, & plantis æqua, feriſque,
Sola Viris dicetur iniqua recentibus? Et quæ

Largiter Antiquis dederat, nunc parca negare?
Nec verò Ennium, Homerū, Pythagoram, atq; Platona
Formaſſe argilla, qua nos formamur eadem?
Nempè hoc Fautores Veterum meminiſſe jubentur,
Qui nos ſæpe adigunt priſcis parere minores.
Ætatem ſed enim ſi quis conferret utramque,
Verſaretque Animo quid noſtra, & prima viciſſim
Sæcula protulerint; cauſas, & ſemina rerum
Abdita tantarum non umquam cognita priſcis
Sydereoſque ortus varios, cælique meatus;
Plantarumque novas diſſecto cortice venas,
Et monſtrata fibris, nervisque cadavera, & extis,
Bellaque terrarum ſpatiis confecta marique,
Et nuper quantas eduxerit Algebra vires,
Aut ſtudio certaſſe pari, aut hærere coronam
Crederet ætati, merita cum laude recenti.
Verum, ne quis forte putet, me ſingula raptim
Collegiſſe, decus noſtris ætatibus unde
Proveniat, priſcis autem, quæ profore credam,
Quove magis præſtare ſolent, tacuiſſe malignè;
Eſt ubi concedat veteri nova prorſus, opinor,
Ætas, ſi eloquio certent, ſi munere certent
Orandi, dominaque velint contendere ſuada:
Nemo recens famam Demoſthenis, aut Ciceronis
Attingit, longo quin proximus intervallo
Tantorum relegit veſtigia prima Virorum:
Hoc quamvis doleat multum, tamen ipſe negare
Non auſim, neque enim prava ambitione, vel acri
Mordeor invidia; magna hæc exempla ſequamur,
Ingenio, & ſtudio, quo nos pollemus, & Arte
Unanimes, rapere Auditorem vortice multo,
Seù volumus ſubito proſternere fulminis ictu:
Quod dolet, elicit atque imo ſuſpiria corde
Eſt cur cedendum priſcis, cur divite lingua
Infra ſe poſitos, nos prima reliquerit ætas.
Namq; ego crediderim numquā magis omnibus unam
Elo-

Eloquii cauſam fore prolapſi, quia morem
Traditum ab Antiquis noſtri ſervare docendo
Ignorent, ſeù prave nolint præcipientes:
Vel quia cura Patrum crebro imbecilla, juventam
Non urget ſtimulis, mollem indocilemque laboris:
Ploravere malis ſuper his quoque cenſor uterque
Appius, & Cato, nec deerat tunc plurimus Urbi
Orator, qui voce Patres, Populumque potentem
Quamlibet in partem traheret, ſeu ferre juberet
Militiam, & grave Martis opus, ſeù mallet apertis
Otia ſectari portis, & fœdera jungi.
Libertas, animis unde acer ſpiritus, & vis
Ducîtur, unde & magnanimum, & grande ubere vena
Exoritur, quod mox interpres lingua profatur,
Nos infelices non aſpicit amplius, ut jam
Præſens, & diuturna homines reſpexit avitos:
Hanc reor eloquii cauſam magis omnibus unam
Dejecti, hanc fore cur victricis acumina linguæ
Jampridem populi ſtudium frangentis, & iram,
Et cives quondam Imperio moderantis, & hoſtes
Torpeſcant, nec adhuc veſtigia prima ſuperſint.
Græcia ſermonis cultrix, atque arbitra in omnes
Torquere humanos animos, & flectere partes,
Hyperide, & Lyſia dudum, & Demoſthene clara
Servili vix colla jugo dedit, illicet omnis,
Vincla pati inſuetus, fandi vigor aruit; ex quo
Tempore Romanam bello Cæſar tenuit rem.
Civili nimium conſperſis cæde Philippis,
Non fora Sulpicium, non Craſſum roſtra tulerunt
Amplius, Hortenſique, & Tulli ſubdita vocem
Roma diù fruſtrà deſiderat: Urbe ſubacta
Exceſſit peregrè facundia, non ſibi poſt hac
Eſſe locum rata caſtæ libertatis alumnæ,
Inque vicem officio, & ſtudio vernaliter aptis
Non acri ſermone potens, ſed carmine molli
Seſe protulit in medium Aſſentatio, & ultra

Quam ſatis eſt, nutus armati Principis horrens;
In titulis, & imaginibus ſtupet; æris & auri
Marmoris, atque eboris cultum fovet, artibus iſtis
Scilicet, ut victæ demum cogantur Athenæ
Impia Alexandri monumenta referre ſuperbi,
Romaque blandiri genio, vitiiſque neronum.

Hos ego deprompſi longa ab rubigine verſus,
Quos neque Muſa extrudere, nec potuiſſet Apollo
Elicere una tui potuit præſentia, Princeps.

JOSEPH MARIA DE LUGO
CREMONENSIS

Congr. de Somaſcha

INTER ARCADES

GLAUCILDUS CYRNENSIS.

DE PASSIONE DOMINI

ELEGIA.

PRæcipe lugubres, Clio mœſtiſſima, cantus,
Audiat & triſtes terra, poluſque notas.
Atque iterum tumidis agitetur fluctibus æquor,
Atque iterum vultus condat Apollo ſuos.
Perque atras ululent feralia monſtra tenebras,
Plurima & e ſtygio prodeat umbra lacu.
Ipſa iterum montes ſcindantur ſaxa per altos,
Et gelidæ rupes, & nemora, & fluvii,
Et quidquid tacitis brutorum conditur antris,
Defleat, & toto quidquid in orbe hominum eſt.

Ec-

Ecquis erit noſtros auſus culpare dolores?
  Quis modus in tanto funere, quiſve pudor?
Præcipe lugubres, Clio mœſtiſſima, cantus,
  Audiat & triſtes terra, poluſque notas.
Ille hominum Pater, & cuſtos, rex ætheris alti
  Quem mare, quem tellus, quem ſtigis unda tremit.
Qui mortale genus Superis æquaverat ipſis,
  Legitimoque hominum ſubdidit imperio
Quotquot & in ſilvis, vacuumque per aera vivunt,
  Quotquot & in mediis bruta moventur aquis.
Qui ut fera deleret veteris veſtigia culpæ
  Solveret & valida vincula noſtra manu.
Linquere ſidereum non dedignatus olympum,
  Induere & vili corpora facta luto.
Poſtquam mille tulit terraque, marique labores
  Ut fieret populi vita, saluſque ſui.
Proh crudele nefas! indigna morte peremptus
  Heu jacet ab dura pendulus ecce cruce.
Præcipe lugubres, Clio mœſtiſſima, cantus,
  Audiat & triſtes terra, poluſque notas.
Non diro hunc fixit tellus Ægyptia ligno,
  Vindicet ut veteres in pia membra neces,
Vaſtatoſque agros, manantem & ſanguine Nilum,
  Et merſa æquoreis agmina mille vadis.
Nec memor excidii, cæſoſque ultura tyrannos
  Vertit in hunc ſævas impia Baſa manus,
Nec quondam æterno Gabaon damnata labori,
  Nec toties victi regna ſuperba Moab.
Sed nec Amorrei, ſed nec committere tantum
  Auſa Philiſtæum turba ſceleſta nefas.
Iſacidum gens ipſa fuit, qua nulla ſupremo
  Extitit in toto carior orbe Deo.
Præcipe lugubres, Clio mœſtiſſima, cantus,
  Audiat & triſtes terra, poluſque notas.
Quæ potuit majora Deus dare munera genti?
  Quid non Hebreis contulit ille ſuis?

Hos

Hos tulit indigna Pharii de compede regis,
His pelagi tutum per freta pandit iter.
Quin etiam in media, mirum, ſtans ipſe columna
Uſque fuit longæ duxque, comeſque viæ.
Et cum ſol nimiis exureret ignibus agros,
Umbrabat populos denſa columna ſuos.
Et cum Nox piceas terris induceret umbras,
Spargebat rutilas ipſa columna faces.
Quid per deſertos, loca inhoſpita, & invia, campos
Tot per luſtra viris defuit, & pueris?
Corpora creſcebant, ſimul & creſcebat amictus,
Nec brevis arctabat faſcia facta latus.
Humanos ſi terra cibos ingrata negaret,
Miſſæ, divinum nectar, ab axe dapes.
Arenteſque ſitis ſi ſtringeret aſpera fauces,
Ipſa etiam optatos ſaxa dabant latices.
Quid referam everſas urbes, regeſque ſubactos,
Tranſmiſſa & ſicco flumina vaſta pede!
Dilectos Aquila ut pullos vaga protegit alis
Protexit gentem ſic Deus Abramidum.
Impia tuque tuum potuiſti perdere numen;
Sanguine & innocuo contemerare manus!
Deſine lugubres, Clio meſtiſſima, cantus
Terribileſque ſonent carmina acerba minas.
Te Pater omnipotens adigat Phlegetontis ad umbras,
Inque tuum jaciat fulmina mille caput.
Te premat & maleſuada fames, atque hoſticus enſis,
Incendatque tuas flamma inimica domos.
Templa cadant, vateſque ſimul, templique Sacerdos.
Serpentum urbs fiat nidus, & alituum.
Ingeminent tibi cuncta metum, & quæ infanda tuliſti
Servili premeret cum tua colla jugo
Egiptuſque, feruſque Moab, ſævuſque Philiſtim,
Et toties culpis ſollicitata tuis
Crudelis Babilon, quæ te, civeſque ſuperbos
Perdidit, excidii ſint brevis umbra tui.

De

De Aſſumptione Beatiſſimæ Virginis Mariæ.

CARMEN.

Fatidico cecinit quondam quæ Debbora cantu,
Læta tuos celebrans, mater divina, triumphos,
Nunc iterare juvat; noſtram tu dirige mentem,
Virgo, namque potes; da & ſacra in carmina vires.
Jam claro Abinoe Barac de ſanguine natus
Adverſas acies, & caſtra inimica fugarat
Cædibus innumeris ſpargens, & funere campos,
Sanguineis iret Ciſon ut ſpumeus undis
Colliſos volvens currus, galeaſque, viroſque.
Nec non arte tua, Iael generoſa, jacebat
Defixum terra caput exitiale tyranni:
Immenſo cum plena Deo ſanctiſſima vates,
Haud aliter quam ſi rabie fera corda tumerent,
Et vultum mutata ſuum, mutata colorem,
Attonitoſque oculos ſæpe alta ad ſidera tollens,
O felix, inquit, tanta ſub virgine tellus!
Felices populi! viridis ſub tegmine palmæ,
Queis tu jura dabis Sion fortiſſima Mater!
Jam venit illa dies multos optata per annos
Exitiis poſitura modum: Nitidiſſima cælo
Ex Jacob oritura micat jam ſtella ſereno:
Jam virga exurgit, quâ non formoſior ulla.
Quæque feret florem, quò non formoſior alter
Ieſſea radice potens. De pectore triſtes
Pellite jam curas, captivi vincula colli
Solvere, & antiquas tempus reparare ruinas.
Elegit nova bella Deus. Qui tanta parabat
Et cælo, demens, miſeris & funera terris
Tartareus Coluber fato jam preſſus acerbo
Per te, Virgo, jacet, forteſque infirmior urget.
Pandite cæleſtes, ſuperi, jam pandite portas,

En

En ſubit æthereas victrix pulcherrima ſedes :
Adverſas potuit proſternere ſola phalanges ;
Sola venenatos morſus vitare draconis.
Exuviis decorata novis, ſpoliiſque ſuperbis
Cernite, ut & vultu incedat metuenda minaci ?
Non tot captivi currus, tot tela, tot arcus,
Tot galeæ, tot ſcuta virum, gladiique micantes
Davidicæ pendent ſummo de vertice turris:
Nec timidos inſtructa acies tam territat hoſtes,
Cum parat adverſis atrox concurrere ſignis,
Ferrea & in campo ſtrictis ſeges enſibus horret.
Ætherei proceres, cæli lumenque, decuſque
Æternas reſerate fores. Pulcherrima victrix
Jam properat ſacros axis penetrare receſſus.
Sola graves iras ſummi lenire Tonantis,
Æternum potuit ſola hæc impellere natum,
Ut patris amplexus fugiens, & cælica regna,
Abjectas peteret vili ſub imagine terras
Humanos ſumens artus, mortaliaque ora.
Cernite ut immenſæ radiis circumdata lucis
Fulgeat, & plaudens greſſus comitetur euntis
Virtutum formoſa cohors. Hinc candida puro
Virginitas induta peplo, Pietaſque, Fideſque:
Hinc grave Conſilium, roſeoque Modeſtia vultu.
Quæque celer juſſis didicit parere ſupernis,
Quæque humiles rerum ſumma ad faſtigia tollis,
Virtus æterno nimium dilecta Tonanti.
Candida ſic puro reſplendet Delia cælo,
Sidereoſque ignes inter, luceſque minores,
Sic nitet in medio Sol ardentiſſimus axe.
Sed jam cæleſtes ſubiit virgo indita ſedes;
Spargite purpureos flores, incendite thura;
Et plaudat ridens feſtivo carmine tellus,
Et plaudat ridens feſtivo carmine cælum,
Aurea jam toto redierunt ſæcula mundo.

DE

DE CHRISTO PATIENTE.

CARMEN.

DIvinæ matris duros memorare dolores
Me nunc ardor agit, noctem & ceciniſſe ſupremam
Ante libens quam tu Jeſu fera fata ſubires:
Tu pia Virgo fave, noſtroque adſiſte labori.
Jam nox ingruerat terris, & ſomnia circum
Errabant taciturna domos, cum pallida Virgo,
Conſcia quæ maneant crudelia funera natum,
Poſtquam maternos lacrimis ſatiavit amores,
Heu fili, heu fili ſæpe & clamavit, ut alta
Heu fili, heu fili ingeminarent atria circum
Non ſomno, ſed victa gravi merore quieſcit.
Aſt quæ dira quies: terrent viſa horrida mentem,
Cunctaque confectum referunt inſomnia natum.
Ante oculos primum Joſeph ſe ſiſtit imágo,
Joſeph deliciæ patris, dulciſque voluptas,
Quem duri ſpoliant aurato tegmine fratres,
Vanaque lugentem vinctis poſt terga lacertis
Inſontem genti tradunt, pròh crimen! iniquæ.
Dum queritur virgo miſerans natumque, patremque,
Continuo Joſeph notos deponere vultus,
Continuo ſtantes circum mutarier omnes
Aſpicit; haud aliter quam cum ſuccedere vitris
Arte coloratis pariter depicta figuris
In magica, mirum, nova lampade vitra videmus.
Nunc vaſtum tumidis agitatum fluctibus æquor,
Nunc virides ſilvæ, nunc acti in prælia reges,
Et nunc quæ docto demum placuere magiſtro
Oppoſito apparent depictæ in pariete formæ.
Ergo videt natum multa jam compede vinctum
Judæorum inter, Romanorumque phalanges
Nunc huc nunc illuc urbis per compita raptum

Ex-

Excutitur viſu genitrix, & lumina pallens
Circum volvit, at hæc etiam evaneſcit imago.
Tum videt egregio Jephte de ſanguine natam
Diſperſis per colla comis & multa gementem
Per ſilvas errare feras, monteſque ſilentes,
Plurima quam ſequitur plangentum pectora palmis
Turba puellarum, miſeris nemora alta querelis
Et colles, fluviique ſonant, valleſque profundæ.
Triſtis in aſpectu nimium dum virginis hæret
Fixa parens, ut ſæpe eadem nota ora videmus
Diverſos vultus, diverſas ſumere formas,
Si nimium intento ſpectentur lumine; Jephte
In Jephte nata natam non conſpicit, atque
Ipſum viſa ſibi dilectum cernere natum
Ægre evadentem ſummi capita aſpera montis,
Quem matrum gemebunda cohors comitatur euntem;
Ipſe gravis fletu, pallens jam morte futura,
Et ſparſus teneros concreto ſanguine vultus.
Ingemuit nimio pectus perculſa dolore,
Et frontem quaſſans, diras ſi pectore tandem
Excuſſiſſe queat ſpecies, infandaque monſtra,
Atque oculos alio, mentemque avertere tentat:
Sed fruſtra; nam mox illi, fortiſſimus Abram
Siſtitur ante oculos: videt hunc jam culmina montis
Scandere, & inſontem, nam ſic mandata Tonantis
Urgent, ligna ſuper dextra protendere natum,
Imbellem natum, rigidas qui flectere tigres
Poſſet, & indomitos vultu lenite Leones.
Implicuitque comis lævam niveamque reflectens
Cervicem patulo figit jam vulnera collo.
Victa metu tanto traxit ſuſpiria corde,
Avertitque gemens oculos perterrita mater.
Aſt heu oppoſiti ſublimi in vertice montis
Aſpicit indigna pendentem ex arbore natum,
Æternumque videt ſumma inter ſidera patrem
Jam fera in innocuum jaculantem fulmina pectus.

Heu

Heu quid mater agat? miſero ſuccurrere nato
Vellet, at infenſi cohibet gravis ira Tonantis,
Nec precibus tantos audet mulcere furores.
Ergo anceps agitur, lanx æquo ut pondere preſſa,
Quæ neq;in hanc partem,nec partem inclinat in illam,
Mœſtaque mirificis cruciantur pectora curis.
Sed nova jam mentem ſubiit crudelis imago,
Majorum tibi Virgo fuit quæ cauſa dolorum.
Viſa ſibi innocuum per amenos cernere campos
Errantem cum fratre Abel, quem mitior aura
Ludit odoratis circum gratiſſima pennis,
Quem circum vernant herbiſque, & floribus arva.
Cum ferus inſurgit Cain, & ſtipite duro
Nam tunc enſis erat nullus, nil triſte timentem
Impius agreditur fratrem, totumque tenello
Immergit lateri, viſu miſerabile, lignum;
Corruit exanimis tanto ille in vulnere, tumque
Humano primum maduerunt ſanguine campi.
Non tenuit voces caſum miſerata nefandum
Mæſta parens, properatque gradus ſi forte jacentem
Erexiſſe queat, propior ſed facta jacenti
Non oculos Abel, Non Abel conſpicit ora;
Sed vultum nati, ſed nati lumina cernit,
Sed natum videt eſſe ſuum, qui in ſanguine multo
Heu! natat indigna transfixus cuſpide pectus.
Uxorem ut ſacri cecinerunt carmine vates
Loth manſiſſe tuam, ſubverſa ad tecta Gomorræ
Lumina cum vertit ſpernens mandata Tonantis:
Sic pia Virgo manet, nullum dant lumina motum,
Fugit & ipſe color, duroque ſimillima ſaxo eſt.
Equoreis ſed jam rutilans ſe Phebus ab undis
Tollebat, noctemque fugans, & noctis amica
Somnia, quæque nigris gaudent fera ſpectra tenebris.
Ergo omnes abeunt ſpecies, abit omnis imago
Triſtior; & primi redeunt in corpore motus,
Viſa tamen cordi remanent infixa profundo,

LAU-

LAURENTIUS FUSCONIUS RAVENNAS
Min. Convent.

INTER ARCADES

LABISCUS TEREDONIUS.

Vale Dictum Muſis, Apollini, & Arcadiæ anno 1750.

ELEGIA.

AOniæ Rupes, & curvi Sacra Erymanthi,
Antraque muſcoſis roſcida pumicibus,
Et circùm Aonias ſaliens Fons garrulus oras
Bellerophontæi de pede natus Equi,
Quo Phœbus quondam, formoſaque Calliopea
Noſtra Philæteis ora rigavit aquis.
Tuque, o Parraſii Laurus non ultima Collis
Gloria, Phœbeis Laurus amica comis,
Quæ aſcenſu in primo patulum caput ardua tollens
Dulce paras laſſis vatibus hoſpitium,
Et vos, quæ noſtri quondam pars prima laboris,
Primaque curarum cura fuiſtis, oves,
Æternum ſalvete mihi: Me ſors mala veſtris
Invitum avellit, ſors mala, Littoribus:
Non ego vos poſthac alto ſub Sole videbo
Frigidum ad irriguas carpere gramen aquas,
Aut ſaturas errare procul, ſeu, me duce, ſerò
In tepida aſſuetum tecta referre pedem,
Nec me vos poſthac adverſa Rupe ſedentem
Aut Calathos flexis texere viminibus,
Aut vigilem ad caulas tacitâ ſub nocte cubantem
Arcere impaſtos voce, manuque Lupos,

Aut

Aut calamos inflare leves, ſeù nota meorum
Scribere in arbuteis nomina corticibus;
Non quod ſylveſtres pigeat coluiſſe receſſus,
Aut hirtâ pudeat pelle operire latus;
Dis quoque ſylvarum ſoli placuere receſſus,
Nec puduit durâ pelle operire latus,
Nempe etiam, ſi vera ferunt, Timbræus Apollo
Admeti juſſas per juga pavit oves;
Bacchus amat Sylvas; furtivaque culmina Latmos
Præfert æthereis Cynthia ſyderibus.
Neù quod Parrhaſias Laurus indigner, amavit
Phœbus, & eſt ipſi Laurus amanda Jovi;
Carminave, aut humiles Paſtorum aſperner avenas;
Sincero æternum nomen avena fuit:
Sed non hac nobis ſperandum nomen ab arte,
Non eſt hoc nobis Fonte bibendus honor;
Dum licuit, primis hæc nos quoque luſimus annis,
Heu! fatum eſt alio nunc dare vela mari.
Ah! nimis, invideo, felicia tempora; quondam
Luſimus apta meis tempora, & apta jocis,
Queis cura Puer, ac ſtudio graviore ſolutus
Seu jungens tardos ſub juga panda Boves,
Seù baculo ſaturas cogens ad mulctra Capellas
Implebam reſonis Flumina, & arva modis.
Nunc memorans flentem mutatam Pana Syringam,
Dilapſumve auri divitis imbre Jovem,
Et modo funeſtos Narciſo Fontis amores,
Et triſtem Gnati funere Lyriopen.
Dicite vos, Sylvæ, nam tunc audiſtis, amicæ,
Quæ flueret noſtris gratia carminibus:
Dum canerem oh! quoties udas è Fonte Napæas
Velantes madidis pectora eburna comis,
Najadeſque undis humero tenus aſſurgentes
Vidi Ego vicino proſiluiſſe Lacu;
Cornipedes vidi Faunos, Satyroſque bicornes,
Et lapſas clivo montis Amadryadas

Poſt denſam Fagum è labio pendere canentis,
  Arrectaque avidos combibere aure ſonos:
Vertumnuſque procax, & qui per Prata rapaces
  Territat incurvâ Falce, Priapus aves;
Et minio, multoque rubens implexa corymbis
  Purpurea uvarum pondera fronte gerens
Ebrius edomitis veniebat Bacchus ab Indis
  Actus in hæc noſtris Littora carminibus.
Impaſtos nido Gnatos oblita volucris,
  Oblitus teneram candidus Agnus ovem
Hærebant taciti circùm; nam dulcius illis
  Gnatis, maternoque ubere carmen erat:
Laureſtus gracilis tenerorum Luſor amorum,
  Clæanthes Fato major, & invidia,
Myrtimbuſque, Orituſque Senex, juveniſque Eniſildus
  Et proprio, & magni nomine clarus Avi.
Paſtores plauſere, ac ſæpè auditus, ab illis
  Ruſtica cum multà præmia laude tuli;
Paſtorumque Parens, ac plenus Apolline, muſis
  Myræus latiis notus, & Auſoniis,
Myræus, qui curat oves, oviumque magiſtros,
  Arcadici Cuſtos, præſidiumque ſoli,
Haud veritus noſtræ modulos laudare Camænæ,
  Et meritum Sacrâ cingere fronde caput.
Tunc meus unus amor fueras, jucunda Poeſis,
  Tunc fueras anima charior, atque oculis;
Tu mihi mordaces propulſans pectore curas,
  Fallebas duri triſte laboris onus;
Teque animo, te corde gerens, ſpe ductus inani
  Per Te victurum me fore rebar ego.
Oh quoties dixi: volitans per ſæcula toto
  Ceu vates magni nominis orbe legar.
Per me forte alias inter celebrabitur urbes
  Major carminibus facta Ravenna meis.
Ah quoties mecum memini iuraſſe: priuſquam
  Arcadicum patiar deſeruiſſe nemus,

Ad

Ad vada ſubverſus Pelagi nativa recurret
Ducta per oppoſitas Tybridis unda vias.
Tybri retrò propera, verſæque recurrite lymphæ,
Arcadicum patior deſeruiſſe nemus.
Non mihi Phœbea ſperandum nomen ab arte;
Non mihi Caſtalio Fonte bibendus honor.
Eternum ſalvete pecus, ſalvete capellæ,
Et cantu gaudens Arcade, Muſa, vale;
Vos hic ſecuras lætæ captabitis umbras,
Ibo ego Fortunæ quo furor ire jubet.
At ſeù me extremas mundi protrudat in oras,
Nulla ubi ab humano ſit via trita pede,
Aut ſcythicas inter cautes, & inhoſpita Ponti
Littora, quo feſſi vix eat aura noti,
Hoc nemus, has valles imis infixa medullis
Arcadicumque pecus pectore, & ore feram,
Ruſticaque aſſueto pendebit Fiſtula Collo,
Et memor antiqui pignus honoris erit.

HIERONYMUS MELANI
Senenſis

INTER ARCADES

LEALGUS IRANENSIS.

De ſingulari ejus diei gaudio, qua Benedictus XIV. *Pontifex Maximus renunciatus eſt.*

ELEGIA.

Maximus æthera Clemens in Sede receptus
In medio Navim liquerat Oceano.

Bis centum ſine ſole dies, ſine ſydere noctes
  Errabat tumido fluctibus illa mari.
Candida Relligio, puppi quæ ſtabat in alta,
  Facta metu ſævi pallida naufragii,
Suſtulit ad ſuperum languentia lumina Cælum,
  Taliaque ex imo pectore verba dedit.
Nate Patris ſummi, quo tantum vindice crevi,
  Et forma, imperio, viribus aucta fui;
Nonne vides quanti cinxerunt æquora nimbi?
  Heu quæ damna Rati, quæ mihi bella parant!
Tu rapidos potuiſti olim componere fluctus,
  Placatuſque tuo eſt ipſe Cruore Pater.
Nunc etiam ingentem pelagi compeſce ruinam,
  Rectorem pavidæ, jamque age, redde Rati.
Vultu, quo cœlum, tempeſtatoſque ſerenat,
  Reſpexit Sponſæ fervida vota Deus;
Monſtravitque Virum, quo Navis tuta recepto,
  Quo Duce Relligio, quo Patre læta foret.
Ecce Gubernator cælo demiſſus ab alto,
  Dixit Cælicolum tota repente cohors.
Ecce Gubernator cælo demiſſus ab alto,
  Vox eadem ſacris eſt repetita Viris.
Relligio redimita oleis, lauroque capillos
  Magnum dulciſono protulit ore melos,
Divinamque Manum cecinit, divinaque Juſſa,
  Et divinorum fortia facta Patrum.
Haud aliter fœlix Germana potentis Aaron
  Summa ſacris tetigit ſydera carminibus,
Cum Pharaonis equos, curruſque, equiteſque ſuperbos
  Mira improviſo gurgite merſit aqua:
Nec ſecus in forti dextra Jahelis honorem
  Cantavit Superum Debora ovante tuba,
Siſara ubi clavo cervicem infixus acuto
  Inviſam fœdo ſanguine tinxit humum.
Sic poſtquam Aſſyrio Gens cæſo Hebræa Tyranno
  Subduxit diro libera colla jugo;

Ju-

Judith, cumque ipſa centum cecinere Prophetæ, &
Mille Puellarum, & mille chorus Juvenum,
Quid magni valeat virtus, ac dextra Tonantis,
Quidve humilis poſſit Fœmina plena Deo.
Cantica quin Fidei tanto his potiora fuerunt,
Quanto eſt antiquis clarior iſta Dies.
Fortunata Dies, tam læta revertere ſemper,
A Domina rerum digna potente coli.
Primi ſenſerunt ſeptem nova gaudia Colles,
Prima triumphantem eſt Roma ſecuta Fidem.
Flore coronarunt ripas; & Tybridis undas
Sparſere inſolita Nayades ambroſia.
Ipſe caput nitido Tybris Pater extulit alveo,
In mare feſtivis & properavit aquis.
Certe nulla ætas, victoria nulla, Quiritum
Perfudit ſimili pectora lætitia.
Clamarunt Latii Juvenes, Latiæque Puellæ:
Terrarum Princeps, & Pater Urbis ave.
Totus & Auſoniis reſpondit plauſibus Æther:
Terrarum Princeps, & Pater Urbis ave.
Aſt ego Romuleæ lætiſſimus incola Terræ
Solvi in fatidicos ora, animumque modos:
Salve Incrementum Fidei, & Vita altera Romæ;
Et tu cum Domino, Roma, ſeneſce tuo.

AD AMICUM.

ELEGIA.

Siqua puellarum pietas tibi, care Sodalis;
Si quis amicitiæ cultus, amorque mei eſt,
Quam tibi commendo, teneræ ſuccurre Puellæ,
Nubere quæ vellet, nec ſine dote poteſt.
Iſta Puella tua digna eſt pietate; videri
Digna etiam certe poſſet amore tuo.

Primum formoſa eſt. Juranti crede Poetæ:
Ni formoſa foret, non mihi cara foret.
Non dicam Veneri ſimilem, ſimilemque Minervæ;
Non dicam: talis Juno decennis erat.
Hoc equidem dicam, quod quantum Lesbia, quantum
Laura fuit, tantum pulcra Puella mea eſt.
Divini mihi Petrarcæ, nitidique Catulli
Sæpius invidiam carmina jure movent;
Sed neque Petrarcæ, neque dulcis amica Catulli
Invidiam poſſet jure movere mihi.
Nec quia formoſa eſt, ideo minus illa pudica eſt.
Hæc eſt juncta ſacræ forma pudicitiæ.
Non illi faſtus; roſeumque ſuperbia vultum
Non ſequitur; creſcit ſimplicitate decor.
Formoſam quicumque vident illam eſſe fatentur.
Mirum! formoſam ſe tamen una negat.
Iſta tribus luſtris unum vix addidit annum.
Hæc forma, hæc ætas quam foret apta Viro!
Apta Viro foret hæc ætas, hæc forma, ſed obſtat,
Obſtat crudelis, diraque pauperies.
Jam cecinit vates Dos eſt ſua forma puellis,
Verum dos priſco tempore forma fuit.
In pretio pretium nunc eſt: ſine dote, marito
Forma caret, mæchis non tamen ipſa caret.
Hæc quoque ſi vellet, ſibi mille pararet amantes.
Mille petunt ipſam, circumeuntque proci
Sed quoſcumque procos, quoſcumque repellit amantes.
Negligit illa viros mille, virumque petit.
At miſeranda viro caret heu, ſemperque carebit,
Accedat niſi dos, unde paretur hymen.
Hæc igitur forma, hæc ætas innupta peribit?
Dii quæſo tantum, Dii prohibete nefas:
Caſta Puella quidem eſt, ſed res eſt plena pericli
Forma, & paupertas. Dii prohibete nefas.
Sæpius innocuas unco petiere columbas
Accipitres roſtro. Dii prohibete nefas.

Tu-

Tuque nefas tantum prohibeto, care ſodalis;
Caſibus & mæſtæ Virginis affer opem.
Alloquere, ac nummos pro paupere poſce puella
Adriacos Patres, Adriacaſque Nurus.
Tu faciles aditus, tu mollia tempora noſti;
Te matrona potens, te pius audit eques.
Audiet & pulchra pro Virgine quiſque precantem.
Ipſe Deus Venetis cerea corda dedit.
Sunt fortes Veneti, & pleni virtutis in hoſtem,
Non minus in miſeros at pietatis habent.
Ipſe Deus tenerum finxit tibi pectus, amice,
Et mihi cor tenerum præbuit ipſe Deus.
Crede, fatebor enim, ſi fulvo attollerer auro,
Si mea congeſtas arca foveret opes,
Aut ego conjugio ſtabili mihi jungere vellem
Hanc, quæ regali digna jacere thoro eſt,
Aut illi ſponſum numerata dote pararem,
Si nollet thalamo forte jacere meo;
Sed nec eam dotare miſer, nec ducere poſſum.
Eſt Virgo pauper, ſum quoque pauper ego.
Eſt latia, eſt hætruſca chelis mea tota ſupellex,
Nil quod det Vates, carmina præter, habet.
Carmina ſed teneræ nolunt pro dote Puellæ,
Nec pro dote volunt carmina noſtra Viri.
Quid faciam? Te care precor, te dulcis amice,
Tu pro formoſa Virgine funde preces.
Flectat pauperies, flectat te mollior ætas,
Et forma, & pluſquam forma, pudicitia.
Accedit quod cara mihi eſt, quod pura voluptas
Manat, & inſontes hinc mihi deliciæ.
Hæc noſtra eſt Erato; hæc noſtra eſt dulciſſima Clio,
Denique pro muſis hæc mihi ſola novem.
Si tibi ſum cordi, ſit cordi noſtra Puella;
Cura ſit illius ſi tibi cura mei eſt.

FLAMINIUS SCARSELLIUS
Bononienſis
INTER ARCADES
LOCRESIUS TEGEUS.

IN PODAGRAM

HENDECASSILLABI.

Male ſit tibi peſſimum malorum
Clamoſa indocilis ferox podagra,
Cui nullum medicæ levamen artis,
Nulla perpetui quies doloris.
Tu dire lacerans, liganſque nervos
Nunc uno pede, nunc utroque prenſum
Me parvo exagitas, teneſque lecto.
Inſomnes traho te furente noctes,
Nec, ſi ſol redeat, proterva ceſſas.
At blandus Sydenam pari potentes
Premi ſorte viros duceſque narrat.
Pol non hoc pretio appetens honorum
Magnis par ducibus velim videri.
Atqui neſtoreos benignus augur
Promittit miſeræ dies ſenectæ.
Pol non hoc pretio improbam tueri
Vitæ ſollicitus velim ſalutem.
His qui blanditiis jociſque tentat,
Et multos mihi gratulatur annos
(Ignoſcas bone Juppiter) ſit iſto
Beatus, precor, uſque & uſque morbo,
Cui nullum medicæ levamen artis,
Nulla perpetui quies doloris.

LUDOVICUS SERGARDIUS
Senenſis

INTER ARCADES

LYCON TRACHIUS.

AD CLEMENTEM XI. PONTIFICEM MAXIMUM.

Italiæ ſpes una, Deo vicina Poteſtas,
Magne Pater, Mundi Præſes, Tutelaque rerum,
Cujus adoratis devolvor in oſcula plantis;
Si pateris, ſolitæ torquebunt Cymbaia chordæ,
Optatumque diu Romanas carmen in aures
Deſcendet. Vitiis Sancto ſub Principe ſemper
Iraſci tutum; verique aſſertor, & æqui
Nil intermiſſum dubitet tractare flagellum.
Sed de fæce Numæ quamvis perſtringere mores
Ardor agat, latoque ſeges curvetur in agro;
Virtutes, nomenque tuum, Divinaque facta
Præteriiſſe nefas. Lachrymas in limine Regni
Suſpiciant alii, Vittas, madidamque Tiaram,
Dum triduo immoti penderent vota Senatus,
Et magnæ attoniti ſtupeant novitate repulſæ.
Me potiora trahunt, tunc cum dicturus ad Aram
Et Latio, Graioque ſimul ſpectandus amictu
Paſcis Oves, docilemque Gregem. Quæ copia fandi.
Quantaque flexanimis manat facundia labris!
Par quoque ſermoni vultus, geſtuque ſequaces
Demulces animos, & Majeſtate peroras.
Niliaca exciſæ labentur rupe columnæ,
Signaque, & æra cadent, & marmora longa Syenes,

Et quæcumq; vides, quibus Urbs hæc alma ſuperbit;
Non tamen occulto tentabit dente Vetuſtas
Eloquii monumenta tui, ſeroſque Nepotes
Inſtitues dictis, longumque docebis in ævum
Paſtor perpetuus, primaque è ſede Magiſter.
Tempore non alio ſumma ad faſtigia crevit
Gloria Romulidum; neque enim facundus, & idem
Maximus Orator bibulas tantum imbuis aures
Eloquio, & plenæ moderaris froena Coronæ,
Sed magno pulchras artes dignaris honore,
Amplexuque foves. Hinc alta Palatia, Sedes
Principis, & longo paries conſumptus ab Ævo,
Urbinas olim quem delinivit Apelles
Prodigiis, ſenio exutus renovare juventam
Cernitur. Albani quamvis veteriſque Phalerni
Pluſquam mille cados ſitiens Pictura propinet,
Artifici multum tua ſe debere fatetur
Urbs Æterna, cui famam, & decora ampla tueris.
Cuncta nitent, meliorque dies, & purior aura
Ventilat immenſas ædes, Urbemque ſecundam.
Ipſe quoque Antinous, Cytherea, & nudus Apollo,
Laocoon, Parioque rigens è marmore Truncus,
Relliquiæ Imperii, atque artis monumenta Pelaſgæ,
Quos animæ hybernæ, pluviæque, & tempora brumæ
Mordebant, priſcæ revocant miracula formæ;
Et quæ Cæſareos minuit ſerpente triumphos,
Deformis nuper guttiſque perennibus uda,
Inſculpto gaudet ſolvi tibi carmine honores.
Ut ſileant, rigeantque, vocant te marmora Patrem
Auctoremque novæ, rapiunt quam ſæcula, vitæ.
Advena contractis miratur ſingula rugis,
Et tabulas, ſtatuaſque attollit laudibus, & quas
Egregias ædes Habitator Maximus imples.
Quid memorem excitum Lembis navale ſabinis,
Falcatoſque gradus, ſtratumque è marmore clivum
Auguſti ad tumulum, quo Tybridis unda ſuperbit,

An-

Annonamque ſuæ ſecurius invehit Urbi?
Atque utinam contis,trabibuſque,atque aggere multo
Doctus iter, cymbæ pateretur pondera dorſo
Uſque ubi fæcundos Auguſta Peruſia campos,
Et pingues agitat glebas! Hæc gloria Princeps
Eſt ævo ſervata tuo. Poſt ſæcula veſci
Altilibus liceat populo, Gentique togatæ,
Nec ſtomachum vappa, nec putri ſemper aceto
Vexet, & inviſis ponatur menſa lupinis.
Sed quis prætereat Tarpeja in Rupe Camænas
Auditas, feſtumque diem, quo dona parantur
Artibus ingenuis, & habet ſua præmia Virtus?
Tunc pictura loqui, vellent tunc ſigna moveri,
Et Domini curva veſtigia lambere fronte.
Quos animos addis, quoties operoſa Juventus
Accipit a ſacro regale Numiſma ſenatu,
Laudarique ſuos ſperat te Judice niſus?
Nec minus eſſe puto, quod celſa Palatia pandis,
Treſque jubes pulchras illic habitare Sorores,
Cæſar ubi domito Labaris victoribus Orbe
Exuviis Regum, Trabeaque inſignis, & Oſtro
Jura dabat populis, nam ſplendida facta Quiritum
Et locus, atque aer mentes accendere honeſtas
Occulta virtute ſolet. Venere Pelaſgis
Urbibus Artifices olim, cum Roma labori
Caſtrorum aſſueta, & ſulcos proſcindere aratro,
Agreſti palea cellas, & Fana ſolebat
Incruſtare fimo, madidamque inducere cretam.
Pendebant ocreæ muro, galeæque minaces
Pro tabulis pictis. Nullus cum Mentore crater,
Nec menſæ numidis radiabant dentibus orbes.
Ipſi etiam Tripodes, facieſque auguſta Deorum
Informi è trunco. Stabat ſine fulmine nuda
Juppiter ædicula, nec non ficulnea Juno,
Et taciti Blattæ morſus, mureſque timebant.
Tunc Urbi, populoque rudi verſutus, & acris

Græ-

Græculus ingenii, ſtatuas, pictaſque tabellas
Monſtravit primum; mox & mercede parata
Metiri Circos, & fundamenta Theatri,
Atriaque, & Pharias docuit ſervire columnas
Porticibus. Molli varios hinc fingere cæpit
Argilla vultus, ductumque ex ære Tonantem
Armavit triplici telo, caſtæque Dianæ
Expreſſit liquidis, miſtiſque coloribus ora.
Inſcia turba Remi laudat miracula, & Artes
Educat. Hinc Grajo ſervatum in ſæcula nomen
Artifici. Claras doleo periiſſe Mycenas,
Et Spartam, & doctas nil præter rudera Athenas;
Quam cuperem ſolito floreret Græcia faſtu,
Et ſtudia, atque artes poſſet ſpectare Latinas!
Nempe ego cum Ligures video decreſcere montes,
Ut delubra ſacris ornentur prima Coloſſis,
Scalpra, quibus centum longo ſudore dederunt
Effigiem, atque animam, & tantum non poſſe moveri,
Cum crepitu Danaos procul hinc migrare juberem,
Et Spartæ tabulas, & reddi ſigna Corintho,
Ut nihil incultis poſthac Urbs alta Pelaſgis
Debeat, atque tuo creſcat decus omne favore.
Creſcet io! Tantum Capitolia celſa frequentent
Arcades eximias Artes laudare parati,
Nec biſores rumpat diſcordia Civica cannas,
Aut gelidos fontes, & prata virentia dirus
Vaſtet Aper; Grajoque furens e littore turbo
Cuſtodem, & pecudes, & acuta mapalia vellat.
Scilicet & tempus venit, quo Muſa libellos
Dictitat, & Rabulis immixta vocabula mærens
Non audita prius diſcet, magnumque Clientem
Judicis ante fores irridet Curia Phœbum.
Dicite Cauſſidici quænam majore tumultu
Actio Romanum ſubiit famoſa Tribunal.
Quandoquidem... ſteriles; ſed Tu Pater Optime tricas
Rumpe manu, qua cuncta potes, ne carmina deſint
Ar-

Artibus, & toto reſonent Capitolia Pindo.
Quin procul a Patria, chariſque Penatibus actis
Da proprium pecori fontem, & Paſtoribus umbram.
Non Licini campos, Craſſi non poſcimus ædes,
Atque Palatinos, quos olim habitavimus, hortos;
Non ea vis animo, quem ſors averſa fatigat.
Tres Platani, Buxuſque virens, & Virginis undæ
Unciola, & lævi conſtrata ſedilia Muſco
Arcadiæ ſatis eſt, magnus cui cenſus arundo,
Mulctraque, fiſcellæ, & cophinus pretioſa ſuppellex.
Ruſtica turba ſumus, ſed quæ mulcere loquaces
Scit calamos digitis, & ſcriptis imperat annis,
Neſcia corrumpi popano, nec murmure vanæ
Gloriolæ, rectique tenax, ſemperque parata
Auro virtutem, & vitæ præponere honeſtum.
Plurima ſunt equidem noſtro quæ tempore Romam
Arcadia invexit bona. Gothos undique, & Hunnos
Litterulis primum evertit, lateque vagantem
Barbariem. Quis enim manantes rore Poetas
Audire, & croceum redolentia verba cubile
Auroræ poterat quocumque in carmine? Regnum
Quis ferret tumidum Æoliæ, jaculumque triſulcum,
Antraque tergemino ſemper latrata Moloſſo?
Certe ego nil dubito præſenti numine factum
Tempeſtate tuâ, ut Cœtum coaleſcat in unum
Flos Itali ingenii vanis diſcingere natus
Sermonem phaleris: nam quamvis grandia Princeps
Suſcipias, famæque ſonum merearis amicæ;
Ni tibi præcipuus calamus ſuccurrat, & atræ
Invidiæ clypeum opponat, tacitæque ſenectæ;
Non pelago objectæ moles, fluctuſque tumentes
Depoſita juſſi tua littora lambere arena,
Nec refluum ad centum cellas decurrere flumen
Edoctum, & longo ſuſpenſæ fornice lymphæ
Te letho eripient; venturaque neſciet ætas
Quæ modo Romuleos implent tua Nomina faſtos.

Di-

Diruta templa vides Solymæ teſtantia cladem,
Quamvis barbaricis fuerit ſuffulta columnis
Teſtudo, præcepſque Tibi dilabitur Arcus
Artis opus mirum; quæque occupat æthera moles
Flavia, pendenti laudatur clara ruina,
Vixque datum Magni veſtigia viſere Circi,
Aurataque domus Regis monumenta ſuperbi.
Scilicet immiti longæva perambulat ætas
Cuncta ſupergreſſu, ſpargitque oblivia Lethes.
Sola manet Virtus, fatique ignara per ævum
Extendit nomen; nec ſplendida facta peribunt,
Scriptor ubi æternæ ſtillavit balſama vitæ.
Hanc igitur foveas, hanc amplexare, Latini
O decus Imperii, doniſque augere paratis
Ne pigeat, poſitumque putes in fœnore munus.
Magna quidem tetigi, ſed tu majora capaci
Mente agitas. Duro volvuntur ſæcula ferro
Aſpera, & inſomni nondum Lux una Tiaræ
Affulſit, rabidæ non fæta tumore procellæ.
Te Fidei tangunt gemitus, Regumque potentum
Diſſidia, & totum commiſſa duella per Orbem.
Te Patrem appellat, nudat tibi vulnera mille
Europa, & lacero verrit tua limina peplo
Sciſſa comas, fletuque genas perfuſa tepenti.
Proh dolor! è noſtro fumant ſaturata cruore
Arma, quibus Perſæ melius, Scithæque perirent;
Mille rates in bella ciet, roſtróque ſuperbo
Jam gravis Italiæ cupida ſpe devorat Urbem
Impius, & ſpoliis jam nunc exultat opimis.
Sed non Odryſio ſemper fortuna Tyranno
Vela dabit, noſtrumque cadet ſine vulnere telum.
Auſpice te quanta feſtinat mole, geritque
Cæſar bella Dei, cauſamque tuetur Olympi!
Nec tantum precibus Cœlum, gemituque fatigas,
Udaque flexanimis armatur palpebra guttis;
Sed vires auges ſtudiis, & in arma feroces

Dum

Dum properant Aquilæ, fulvo tua dextra metallo
Militat ad Savi ripas, undaque fideli
In mare jam totus te vindice labitur Iſter,
Ultorique vado pallentem provocat Hæbrum.
Oh quot Theſſalicæ numerabunt funera Matres
Cum primum Gladius ſacras luſtratus ad aras
Fulguret! Iſmarias rumpent tua dona phalanges,
Invictique Ducis, manibus poſt terga retortis
Braccati Reges, & barbara Virgo ſequetur,
Quales non egit Roma plaudente, Triumphos,
Nec Marius victis Aphris, domitoque Jugurta,
Nec qui deleta retulit Carthagine nomen.
Felices properate dies! Impune licebit
Sacratos Solymæ colles, Urnamque capacem
Numinis, ore pio, cupidiſque invadere labris;
Et Patriam, dulceſque focos, & chara relinquet
Pignora longinqua properans regione viator,
Primaque depoſita ſolvet formidine vota.
Jam Libani ſaltus tranſcendere, & enſe juvabit
Scribere odoratis belli diſcrimina truncis.
Oh quoties cæſo, Clemens, tua nomina Cedro
Diſcinctus patrii mirabitur incola montis,
Et parvis Uxor narrabit garrula natis
Hiſtoriam, inque omni te cortice Paſtor amabit,
Atque Parens Orbis, paciſque vocabere Princeps.

MI-

MICHAEL JOSEPH MOREI
Florentinus

INTER ARCADES

MYRÆUS ROPHEATICUS ARCADIÆ CUSTOS

De Fuſo iterum Turcarum exercitu
Anno 1717.

EPINICIUM.

QUis me Pierides, quis me novus excitat ardor?
Strata Cadaveribus mihi quæ datis arva tueri?
Novimus & campos,& prælia novimus.At quæ,
Quæ canere aggrediar potius? num provida Bello
Conſilia? extructi num propugnacula Valli
Dicemus? miro trajectaque Flumina Ponte?
Turpiter hinc retro Caſtris inimica relictis
Agmina verſa fuga; devictas cernere turres
Inde licet; nulloque redemptos ſangine muros.
Undique Victoris Nomen Ducis; undique magni
Nomen Clementis; magni ſonat undique Nomen
Cæſaris: Ingentique exultant omnia plauſu.
Quis neget aſpectu ſuperos Tibi Roma benigno,
Imperioque favere tuo? quæ pallida nuper
Cælo vota dabas, ſparſos nunc Fronte Capillos
Componis, meritoſque Aris indicis honores.
En domitus rurſus: poſitiſque inglorius armis
Helleſpontiacas repetit fugitivus Arenas
Prædo Aſiæ,atque omnem terroribus implet Abydon,
Qui modo tot Populis, qui tot circumdatus Armis
Dilecti manes juraverat ante Maconis,

Non

Non niſi potato Ferrum diſcingere Tybri.
Tybri Pater, Dominæ jam tutus ab aggere Ripæ
Tolle Caput, noſtraſque hylaris ne deſpice Muſas.
Inclyta cui dabitur tua Facta æquare canendo,
O ſpes Europæ, Italiæ nova Gloria? menti
Pervia quæque tuæ, Dux Inviƈtiſſime; jamque
Solam Aſia Eugenii propius timet anxia dextram,
Eugenii ſolum longe pavet Affrica Nomen.
Prævifo ſeu Tu matures bella Triumpho;
Prælia ſeu tentes, medioſque feraris in hoſtes,
Conſilio, ferroque vales; ſic tempore eodem
Cunƈtando Fabium, vincendique impete Druſum,
Scipiadaſque refers, ſuperans Pietate Camillum.
Tu quoque, cui pleno arridet Fortuna favore,
Subdita cui Virtus, Nebulis cui militat Æther,
Carole, magnanimo laus acceſſura Parenti,
Nè deſiſte armis penitus fera Thracia donec
Corruat Auſtriacis jam debellata ſub armis.
I ſequere; i; Cælum dedit omina proſpera, tantos
Uni nempe Tibi ſervarunt Fata Triumphos.
Nunc Te magne Parens, ætas quo noſtra ſuperbit,
Alloquor; ingentis Tibi quæ non danda Triumphi
Gloria? curarum aut quæ Præmia digna tuarum?
Quidquid adhuc geſtũ eſt, quidquid ſit forte gerendũ,
Claſſis in Ægeo, Corcyra ex Hoſte recepta,
Et Themes, & Scythico decurrens ſanguine Savus,
Debentur lacrymis cunƈta, eloquioque potenti,
Queis Cælum, Clemens, Hominũ queis peƈtora fleƈtis.
Et memini, Exquiliæ cum nuper in Æde Parentis
More Triumphantis ſolito ſublimior ires
Feſtivas inter voces populumque frequentem
Euge inclamantem, nec inanes undique plauſus
Cantantem, Nomenque Tuum ſuper Aſtra ferentem,
Ipſe, Tibi ceu nulla foret pars debita Laudum,
Frontem infleƈtebas, oculoſque ſub Aſtra tenebas,
Sæpius & tenero miſcebas Gaudia fletu.

Perge modo, auſpiciis i victor, & arbiter iſtis
Quo ſacra bella vocant; nova jam Fideique, Tibique
Regna para, erranteſque diù (quando annuit ipſe
Armipotens Deus) ad Tua ſigna reducito Gentes.
Jamque age Virgo Parens; Haud fruſtra in Vota vocatam
Te quando Tua Roma colit; quando undique ſurgunt
Ampla Tibi centum totam delubra per Urbem,
Mille Tibi aſſiduis fumant Altaria donis,
Læta precor, faciliſque veni: Odryſiaſque, recenti
Donec ſtrage pavent, penitus ſubverte Phalanges.
Effera Gens pereat; vel ſi nos Claſſe per æquor
Ferte petat, pugnaſque velit renovare marinas,
Effice diſiectas agitet vis abdita Naves,
Omnis & Ægæis erret mala Claſſis in undis,
Ludibrium Ventis, Tempeſtatumque Rapina.
Quid non Diva potes? Tibi ſe manus ampla malorum,
Se Tibi vis Erebi, vitiorumque agmen, & omnes
Tartareæ ſubdunt peſtes; Tu certa ſalutis
Ancora; Tu lapſis ſpes conſtantiſſima rebus.
Ah precor, ah noſtros ſemper miſerata labores,
Chriſtiadum Voces audi, & pia Vota ſecunda.

Cum Infœcundorum Cętus in Aventino eo ipſo in loco, quo Arcades ante annos viginti convenire ſolebant, publicam haberet Academìam. Anno 1735.

CARMEN.

O' Hominum, rerumque vices! qui carmina quondam
(Teſtis adhuc præſens qui non mentitur Apollo)
Suggeſtu ex iſto gracili modulabar avena,
Nunc poſitis, (variat quoniam Fortuna) cicutis
Ad Latias iterum Muſas, ad amæna vireta
Collis Aventini notas prope Tybridis undas

Poſt

Poſt reſides annos, poſt otia longa revertor.
Salve cara mihi tellus: ſalvete receſſus,
Quo Paſtorales jam conceſſere Camœnæ,
Tuque aer, noſtras toties qui ſumere voces
Doctus, ab oppoſita reddebas carmina ripâ,
Si veterum tangit te rerum gloria, ſalve.
Tunc mihi ſubnigri vegetabant vertice crines,
Impatienſque moræ, viridi fretuſque juventa
Quemlibet audebam petere ad certamina; contra
Et ſtetimus primos, ingentia Nomina, Vates.
Nunc cadit obducta rarus de fronte capillus,
Canaque primævo ſucceſſit bruma colori.
Quò vetus ille ardor? quo virtus priſtina? læti
Præteriere dies; ego nunc vix lentus, & ægrè
Evocor ad pugnam; nec me dulciſſima rerum
Gloria, nec ſtimulat nimis olim chara Poeſis.
Scilicet ætati ſua cuique eſt cura; ſenes nam
Longa per humanos Prudentia cognita caſus:
Fortia facta Viros; Trochus, & pila ſeſta Puellos;
Carmina delectant juvenes; hæc debita jure
Verſibus eſt ætas; ætas poſtquam excidit illa,
Defecere animi; curiſque hinc inde moleſtis
Angimur heù fruſtra! ſtudiis dum ignobilis otj
Florentes, noni gemimus ſub pondere luſtri.
Sæpe revolventem male ductæ prima juventæ
Tempora, Phœbæa tulerim quæ prœmia ab arte
Dum repeto, invadit ſtupor, iraque. Nam mala noſtris
Invidit Fortuna Auſis, ſemperque malignis
Intuita eſt oculis; nec plauſus præter, & euge
Conceſſit quidquam nomen ſublime Poetæ.
Et tamen (heu memori cupienda oblivia menti!)
Quos non laudavi? quibus oh! non ipſe peperci,
Crimina dum taceo, dum quæ mediocria tollo?
Quot ſi fata darent, venturo tempore vivent
Carminibus fortaſſe meis! qui nocte gravandi
Æterna, nullis potuiſſent linquere nomen

Artibus, & propriæ vidiſſent funera famæ.
Nec Cyrram idcirco arguerim; nec tu tibi plaude
Quiſquis es, agreſti qui aliena Poemata vultu
Intuitus, quod non intelligis ipſe, ſevero
Damnas judicio, nomenque, artemque Poetæ
Carpere non dubitas, lance & perpendis iniqua.
Sed revocant aliò mea jam me carmina; quæſtus
Meque hodie ingeminare jubent; quà lumina flecto
Materies ſe nempe offert ubicumque novarum,
Quæ ſpecimen rerum non expectata recludat.
Hoc nemus, has lauros, totoque ſedilia Circo
Attente circumſpicio; totque inter Amicos
Heu memini plures jam deceſſiſſe; novoſque
Conſpicor heù vultus, vetereſque hinc inde requiro
Nequidquam voces! Quò Fortiguerra receſſit?
Quò lepidus Gigli? quò Leers, quò Zappius ille,
Qui tenuit captas mira dulcedine mentes?
Quò Guidus altiſonans? cultique Leonius oris?
Quò Cuſtos? Quò centum alii jam pulvis, & umbra?
Quò meus, hæc toties cui plauſit Sylva canenti,
Fama recens, numeroque potens Gaſparrus in omni?
Ah liceat cari nomen mihi ſanguine juncti,
Ac laudes meminiſſe Viri: quot ſcilicet ille
Erudiit veſtrum Themidis præcepta daturus!
Quale Illi ingenium! quæ nam facundia! Recti
Quantus amor, pietaſque fuit; candorque, pudorque
Et placidi mores, & cœpto ſemper in omni
Una eadem ſeries, & conſtantiſſimus ordo!
Occubuit tamen; atque iſtas moriturus in ulnas
Venit opem implorans, ſic Dii voluiſtis, iniquo
Perculſus Fato; meque æteris oſtia ſacra
Pandentem dextra momento fractus eodem,
Heu dolor! heu pietas! ſtupidum, flentemque reliquit.
Parcat quiſquis adeſt ſi fletus inter, & inter
Funeſtas animi curas, tentavimus aures
Uſque adeò veſtras, atque hujus amica diei

Gau-

Gaudia polluimus privato publica luctu
Miſcentes. Jam me correptum turbine tali
Deſtituunt Muſæ, refugitque vocatus Apollo.

Ad Petrum Aloyſium Strozzium ex Forani Principibus, & Balneoli Ducibus.

EPISTOLA.

QUæ ſtudia, aut quiTe deceant, Strozzi optime, mores,
Mox cum vita tibi laribus ducenda paternis,
Ingenuè, quoniam mea poſcis carmina, dicam.
Prima tibi Pietas ſit cordi: ſcilicet omnia
Hinc pendent, nil non & habet qui poſſidet illam.
Otia vitabis: ſunt otia certa malorum
Semina; nec quidquam metuendum forte juventæ
Pejus erit: fugienda acri ſunt hæc tibi cura.
Quod facile ut tibi contingat, ne ſit grave primam
Protrahere ætatem inter docta volumina; nempe
Hoc proprium eſt ſtudiis, primo ut videantur acutis
Omnia ſenta rubis; mox quando adoleverit uſus,
Aſpera decreſcunt, ſuccedunt dulcia, ſicque
Paulatim aſſueſcit grato mens noſtra labori;
Sed non omnis erit callenda ſcientia, nec Te
Singula diſcendi capiat maleſana libido.
Ingenium quamvis tibi fertile; non tamen omnis
Omnia fert tellus; non omnia poſſumus omnes.
Elige de multis tibi quodque arrideat unum,
Cujus nec Te pœniteat gravioribus annis.
Et quoniam Themidis diverſa ad munera ſanctum,
Auguſtum aſcendes jam firma ætate tribunal,
Jura, vide, fuerint ſtudiorum magna tuorum
Portio, manſuramque illinc tibi quærito laudem.
Cætera mox ſummis te ſaltem attingere labris
Profuerit, poteriſque profundæ certa Matheſis
Dogmata delibare, atque irrequieta Sophorum

Litigia, & varias rerum cognoſcere cauſas.
Plurima dein ævo non ignoranda Tibi, quæ
Cognita ſunt noſtro; quæque evenere priori;
Nec tamen hæc ubicumque legas, nec ſingula adopta
Credulus, infenſo nec ſingula reiice vultu.
Sit modus in rebus; docte non omnia docti
Scripſere, & jurare nefas in verba Magiſtri.
Sufficit ut reliquis non tantum nomine notis,
Livius; atque Nepos; Cicero, & cum Cœſare Criſpus
Grandia ſermonis tibi dent exempla Latini.
Cum tamen interea (quamvis nec dulcia ſæpe
Carmina, nec laudem debes tentare Poetæ)
Sint Vates adeundi, atque illinc maxima morum
Cognitio; ac rerum pariatur lauta ſupellex.
Perlege propterea ſemel exemplaria Græca
Theocriti a calamis ad Homeri claſſica, donec
Grajugenum dives ſpoliis ad noſtra reverſus
Littora, ſeu Latio libeat, ſeu carmine Thuſco
Dulcia perfectæ deguſtes dona Poeſis;
Atque ideo ſtudiis ceſſes ſi quando ſeveris,
In manibus Tibi ſemper erunt, tibi ſæpe terendi
Taſſus, Flaccus, Dantes, præcipue Maro: ſummi
Delectant animum, dant & præcepta Poetæ,
Queis vitium fugias, queis virtutemque ſequaris.
Qui ſapiunt venerare viros, doctumque, probumque
Semper ama, ſemperque Tibi propone imitandum,
Nec tamen indocti tibi prorſus deſpiciendi;
Scilicet illorum numerus ſemperque, & ubique
Prævalet; integris quandoque tacere diebus,
Et procul a cunctis opus iſtam ducere vitam,
Si tantum doctis utique, fruique velimus.
Verum age ſunt aliqui, quos tu neque jungere doctis
Poſſis, neve rudes omnino dixeris; iſti
Sunt hi, qui ſalibus quædam inter ſeria mixtis
Immeritos captant populo plaudente cachinnos.
Semper ab his caveas, ſæpe hos vitare memento;

Sin

Sin aliter dum ridet Eques, dum ridet Ephœbus,
Ipſaque pone fores cum ſervo ancillula ridet;
Tu quoque ride: vel ſaltem ridere putet te;
Ne tetrici imponat tibi turba dicacula nomen.
Nec tibi nocturnos auſim interdicere cœtus,
Dummodo ſint Te haud indigni; tibi nec fugiendi,
Teque domum gnavus, certâque receperis horâ.
Sunt quædam, quæ pauca juvent; quæ plurima lædant.
Ergo tuis quoniam invaluit mos iſte diebus,
Romanaſque Nurus; Matronarúmque potentum
Limina cautus adi; ſed Tu, ſi luditur illic,
Lude parum: loquere interdum; ſed honeſta, ſed apta,
Quod veniente ætate, uſuque docebere: quodque
Rectiùs ut facias tecum meditabere quos Tu
Nunc habeas, olim quos ſis habiturus amicos.
Cuilibet & quamvis ab amicis ſæpe timendum,
Vos o præcipuè noctuque, diuque cavete
Patricia de gente ſati; Detractor, Adulter,
Mollis, Adulator, Paraſytus, Cantor, Aliptes,
Scurraque præterea, Fur, Leno perfidus, & qui-
Cumque poteſt vitio non inferiore notari,
Vos petit in primis, vos decepturus honorat.
Temporis hinc jactura frequens, jactura bonorum,
Hinc morbi, hinc pulcræ ſpes intercæpta juventæ,
Atque hinc fœta malis longæva ſupervenit ætas.
Nil tibi cum genere hoc hominũ, Nitidiſſime Strozzi,
Nil tibi cum pravis; ridebere forſitan; illos
Tu ridere ſinas, ridebis tu quoque, tum cum
Plorabunt alii malè ductæ tempora vitæ.
Servorum, moneo, fugito ſuper omnia, crebra
Colloquia, atque aurigarum commercia; crede,
Atria nulla vacant culpis, & equilia nulla.
Largus in hos tamen eſſe velis; te plauſibus horum
Dignum reddiderit porrecta pecunia; quantum
Detrahis alloquio ſupplebit dextera; Tuque
Pauca jube, dociliſque jube: quod reſtat alendos

Curet equos Auriga, ſuâ regat arte quadrigas;
Eſſeda diſponat; cuſtodiat atria ſervus.
At cave ne facie vulgi quemcumque ſeverâ
Deſpicias: metuendum odium, & contemptio vulgi;
Non ſpernendus amor; tibi regula proderit iſta.
Nec tumide incedas, pedibus ſi forte feraris,
Nec ſedeas humeris diſtentus membra ſupinis,
Aurato tum cum veheris per compita curru.
Ultro comis & eſto, ſalutatuſque ſaluta.
Pone ſupercilium, ſi quando accedere quivis
Cogitur inferior, mitiſque affare timentem;
Contrahe fronte cutem, ſi quis petulantior intrat;
Talis eris ſemper ſimul ut timearis, ameris;
Neve humilis nimium dicaris, neve ſuperbus.
Denique quidquid agas, ubicumque foriſque, domique,
Certus agas, dubiuſque ſimul, præeatque ſeverum
Judicium, atque expende animo num proſit, an obſit.
Mox iter aggreſſus ventis da vela ſecundis,
Nec quavis reſonante undâ palleſce; quieto
Nec penitus te crede mari; verum inter utrumque
Semper erit tibi dux audacia mixta timori;
Unde potens rerum Prudentia naſcitur; Ipſe
Virtutem hanc ſequere, atque hanc conſule ſępius unam.
Sed quid ego præcepta inter te demoror ultra?
Vive velut vivis, monitoribus utere quantum
Ipſa ſibi poſcit res. Mores perfice, mentem
Inſtrue; cumque tuis creſcat virtutibus ætas.

Pro Arcadum cœtu Kalend. Auguſti
Ann. 1725.

ELEGIA.

URimur: Auguſti immites rediere Kalendæ;
Bacche, tuis aliquam vatibus affer opem:

Aſ-

Aſpice: deſerta Muſarum, & Apollinis umbra,
Unica Nos Vitis protegit umbra tuæ.
Poſt longum tempus veteri de more canemus;
Noſtraque cui demus carmina, primus eris.
Ergo age pampinea redimitus tempora fronde,
Nos inter Phœbi ſuſcipe, Bacche, vices.
Voſque o Caſtalias o Vates ſpernite lymphas.
Poſtulat æſtivus fervida vina calor.
Deficiente die, mox & ſurgente bibamus;
Stetque coronatus tempus in omne calix,
Evohe: Cuſtodi Juvenes aſſurgite noſtro.
Hoc tibi nempe ſacrum eſt, Alpheſibœe, merum.
Dii tibi dent annos, validam tibi dentque ſenectam;
Æternum noſtros ut tueare greges.
Nempe ſuos olim Chorus hic tibi debuit ortus:
Fortunam tibi nunc debet & ipſe ſuam.
Perge; ſed heu laſſis vox faucibus hæſit, & ipſa
Immodicâ languent arida membra ſiti.
Bacche iterum faveas: calicem mihi ferte ſecundum.
Quiſquis ades puro prolue labra mero.
Evohe. Fortunent Elbaſci Numina dextram.
Conſtruet Arcadicum quæ modo dextra Nemus.
Sunt tibi, ſunt animi, vireſque Elbaſce, tuumque
Non minus hinc certè nobile nomen erit.
Arte laboratum mirâ diſpone theatrum;
Ars tamen ut proprium callida velet opus.
Muſcoſo ſurgant ſubſtructa ſedilia topho;
Præbeat & molles ſæpius herba toros.
Interdum patulis laureta interſere fagis,
Protegat & Vates Parrhaſis umbra ſuos.
Inter non ſteriles Alphæus ſerpat arenas:
Mox Arethuſeas ſponte ſequatur aquas.
Hic Regum benefacta, hic dignas Arcade leges,
Functorum hic ſervet nomina clara lapis.
Sint precor Arcadicos imitantia ſingula mores,
Et niteat priſca ſimplicitate locus.

O plauſus ! o læta dies ! cum noſtra licebit
 Dicere ſub domino preſſimus arva pede !
Ibimus, & clauſæ ſtatuemur ad oſtia ſylvæ,
 Quoad Nemoris Cuſtos pandat utrinque fores.
Tunc neglecta diu ruet in certamina pubes,
 Arcadicum culto carmine faſſa genus.
Pan Deus Arcadiæ præerit: Te Pana ſequemur;
 Tangemuſque hilari ſiſtra canora manu.
Vos quoque Pierides; tu Phœbe domeſtice fauſtis
 Parrhaſium auſpiciis ingrediere nemus.
Centum aderunt Dryades, centum de monte Napæe,
 Ducet & argutas plurima Nais aquas.
Mox & Faunorum, Sylvanorumque per agros
 Cum Satyris ludet, ſed ſine lege, cohors.
O plauſus! oh læta dies! o plauſibus impar!
 O inter fauſtas ſemper habenda dies!
Hæc olim; interea lux hæc genialis agatur;
 Efficiantque novam pocula lætitiam.
Evohe! quid ſtatis? mihi pocula plura ferantur:
 Pocula principium, pocula finis erunt.
Carmina Bacchus amat; Bacchum celebremus Amici;
 Et ſacra ſint hilari carmina noſtra Deo.
Gratulor: anguſto recitabimus ecce theatro:
 Sed ſpecimen longè nobilioris erit.
Carmina nunc raræ dicemus noſtra coronæ:
 Audiet hinc noſtros ampla corona ſonos.
Scilicet humanis quidam præſcribitur ordo
 Rebus, perque aliquos itur ad alta gradus.
Sic prius, Oceano quam ſe committat aperto,
 Solers littoreum Navita tentat iter.
Sic prius, æratas quam ducat in arma phalanges,
 Dux jubet innocua bella ciere manu.
Sic prius, infenſos Tubicen quam territeт hoſtes,
 Provocat altiſona concavâ ſaxa tuba.
Quod Tubicen fueris, quod Dux, quod Navita Nobis,
 Adiice & hoc faſtis Alpheſibœe tuis.

Se-

Sereniſſimo Burgundiæ Duci Galliarum Delphini Filio Chriſtianiſſimi Regis Ludovici XV. Nepoti.

GENETHLIACON.

NAſcere Magne Puer; plaudens Te ſuſcipit Orbis;
  Gallia Te fauſtis protulit Auſpiciis.
Heroum Soboles, centum ſate ſanguine Regum,
  Borbonidûm nova ſpes, naſcere Magne Puer.
Te Genitor mitis, Te formoſiſſima Mater,
  Te ſummo è Solii culmine ſpectat Avus;
Seque inter certant, quis Te mage diligat; aut quem
  Majori afficias Parvule lætitia.
Unanimes ſed certè omnes Altaria circum
  Pro capite effundunt Vota, Preceſque Tuo.
Et meritò; quot enim pavido affers commoda mundo!
  Quot procul, exoriens, cogis abire metus!
Exulat anguineos Diſcordia ſciſſa capillos,
  Extinctam & fruſtra quaſſat utrinque facem.
At contra nitido ridet placidiſſima vultu,
  Dum rerum trepidos Pax recreat Populos.
Europa hinc omnis venienti erepta periclo
  Plaudit, & ad Cunas currit anhela tuas.
Anteit, & Socias prævertit Gallia, ſeque
  Proiicit ante Tuos læta, tremenſque Pedes.
Gaudia mox illic ſua fletibus intermiſcens,
  O, ait, ò Votis ſæpe petite meis!
Progenies Regum non inficianda meorum!
  Te ſuperi, Votis Te tribuere meis.
Advocat intereà Regales Sequana Fratres,
  Lætitiæ in partem quos velit eſſe ſuæ.
HincLiger,hincRodhanus,ſpumanti hinc amneGarumna,
  Fluviorum fremit hinc magna, minorque manus.

Pars Auſtrum, pars Occaſum, pars vergit ad Arcton;
Salſas læti omnes ingrediuntur aquas.
Plauſibus Oceanus; ſonat omne & plauſibus æquor,
Quod Lybiam, quod noſtram alluit Italiam.
Excitus, ut, quod erat præſentit Tibris, utraque
Implicitas Lauris amovet aure comas.
Mox totam lætis implet clamoribus Urbem;
Perque Fora effuſis pene cucurrit aquis.
Gaudia continuo oſtentat Populuſque, Patreſque;
Gaudia perque vias, Gaudia perque domos.
Sint Superis Grates; ſua ſunt ſolemnia Templis.
Omnia lætitia fervere viſa nova.
Nempe Tui MANCINUS AVI qui nomine, ſummo
Heic Oratoris fungitur Officio,
Tot Ludos aperit, tali Proſcenia Pompa
Inſtruit, ut Romæ Vota quoque exuperet;
Ac dum munifica præbet ſpectacula Dextra,
Devincitque omnes Comis ubique Animos,
Francorum certe ſe dignum ſanguine præſtat;
Romanum pariter ſe probat eſſe Genus.
Creſce PUER Votis Populorum, creſce Triumphis,
Quos Tibi bella parant, quos Tibi Relligio.
Nos hic interea pro Te fundemus ad Aras,
Quæ Cælum valeant demeruiſſe, Preces.
Non PROAVI ut ſuperes Facta immortalia MAGNI,
Neu ſuperes ut AVUM, neu ſupereſque PATREM
Poſcimus; hæc olim dubia non voce canentur,
Ingenii dederis cum Documenta Tui.
Majorum ſatis eſt relegas tunc facta Tuorum;
Prælia ſeu placeant, ſeu Bona Pacis ames.
Nos quibus ignotum eſt, quantum mortalibus olim
Largiri per Te Numina conſtituant,
Sis tantum ut ſoſpes petimus; Te ſoſpite, ſoſpes
Relligio, & Regnum, ſoſpes & Orbis erit.

In

In Funere Joannis V. Glorioſiſſimi Luſitaniæ Regis inter Arcades Accl. Aretis Mellei.

ELEGIA.

Occidit. Inferias magno celebremus Areti;
Apta ſit inferiis; aptaque pompa loco.
Regale heic Nomen quævis inſcribitur arbos;
Regale heic Nomen perſonet omne nemus.
Hæc nemora, has lauros uni debemus Areti.
Ille dedit lauros, ille dedit nemora.
Hoc olim ſurgente, juvat meminiſſe, theatro,
Quilibet in laudes Arcas Aretis iit;
Principis & tanti gracili tunc facta cicuta
Luſimus; heroâ facta canenda tuba.
Mox pro regali ſunt vota indicta ſalute;
Mox hilares Regi plauſimus incolumi.
Servat & hæc corylus forſan mea carmina; ſervant,
Arcades, has forſan carmina veſtra citri.
At nunc flebilibus nemus hoc implere querelis,
Cogimur & juſtas ire pii in lacrymas.
Scilicet heu magnus fato conceſſit Aretes;
Et totam luctu concutit Arcadiam.
Flete illum Dryades; vos illum flete Napæe;
Flete & Najades; flete & Amadryades.
Paſtores, Nymphaſque dolor pervadat amarus.
Nil niſi mœſtitiam, nil niſi det gemitus.
Urna inter medias, quâ denſior umbra, cupreſſus
Surgat, & hinc plorans adſtet, & inde chorus;
Certet & alternis, raptum & dum luget Aretem,
Vatum præſidium, Pieridumque canant.
Munificumque, Piumque, & quæque ad grandia natum,
Regnandi & memorent quantus in arte fuit.
Effera circumeat Satyrorum turba; procaxque
Faunorum ſaltet, nec ſine lege, cohors.

Pan

Pan quoque, Pan magnus, cui ſilvæ, armentaque parent,
  Ad tumulum calamis ludat amabilibus.
Ipſe pater Vatum, Pindi adſit gloria, Phœbus;
  At renuat cara cingere fronde comas.
Fallor? adeſt Phœbus: venit Pan: venit & ultro,
  Proxima fatidicus qui tenet antra Deus.
Jane bifrons, qui lapſa vides, idemque futura
  Proſpicis; ah lætis nos recrea auguriis.
Fac ſciat Arcadiæ Tellus; num ſoſpite Nato
  Sperandum ſibi ſit Patris ab interitu.
Sperandum certe; nec me mea Numina fallunt;
  Nec PRINCEPS magno regnat ARETE minor;
Nec minus imperio, minus aut virtute refulget;
  Nec fortaſſe minus diliget Arcadiam.

ECLOGA.

Acta in Parrhaſio Arcadum Nemore ad Janiculum Anno 1727.

Amyclas. *Lycidas.*

Am. PONe pedum Lycida, poſitaſque reſume cicutas;
Dúq;Ego carminibus;nã me novus incitat ardor,
Mira inſueta canam: Tu carmina noſtra ſequaci
Excipies calamo, ſonitumque ciebis agreſtem.
  Lyc. Ten' ego cantantem Lycidas comitabor Amycla?
Scilicet & corvis vis, ut famulentur olores?
Falleris: inverſo quin iſtius ordine pacti,
Cantabit Lycidas, ſonitumque ciebit Amyclas.
  Am. Reſpuis? alternis cantabimus ergo: canoros
Proferet & calamos, qui nos adit ecce Megildus.
Quid Lycidas poſthac, poſthac quid præſtet Amyclas,
Ni mea me virtus fugiat: mora nulla, patebit.
Incipe: ſed poſito certandum pignore; Profer.

Lyc.

Lyc. Ponam ego quo ſolem poſſis avertere, lectis
Intextum paleis, raroque labore galerum:
Hetruſcis nuper mihi cum veniſſet ab oris,
Falleret ut patriâ peregrinas arte volucres
Tradidit hunc Argon: Venator cognitus Argon.
Am. Ruſticus eſt Lycidas, & ruſtica munera ponit.
Aſt ego, quem toties Urbs excipit alta Quiritum,
Quem toties audit, quem non ſpernitque canentem,
Pignora do me digna; tibi tua munera reddam,
Si vincam; hoc ſaltem victus ſolamen habeto.
Lyc. Parcius hæc Paſtor; donec victoria pendet,
Neu tantum tumeas; ſed quid tam grandia verba
Significent: quod nam depones, dicito, Pignus.
Am. Eſt mihi non noſtris viſa umquã, aut cognita ſylvis;
Machina, quam pugnæ ponam pro munere: tamque
Cara mihi res eſt, ut non poſuiſſet Amyclas,
Hoc niſi certamen vincendi certus iniret.
Axe interpoſito regit hanc tornatile buxum;
Ipſaque cum libeat partes verſatur in omnes.
Multicoloratâ quin &, ſcriptâque papyro
Deſuper in gyrum tegitur. Qui talia norunt
Terraqueum dixere Globum: quo ſcilicet omnem
Inſpectare licet longis ſine curſibus Orbem.
Illic Oceanum, Fluvioſque, Urbeſque notares;
Litoraque, tractuſque maris, monteſque, lacuſque,
Terrarumque ſitus, & nomina quæque locorum.
Artis opus miræ: docti mihi munus amici:
Nam Sophus, & Vates ad lævam Tybridis undam
Brennalius dedit hoc, uſumque oſtendit, & artem.
Lyc. Audieram tali ditem te munere dudum
Ad noſtras rediiſſe caſas, ac ſæpius illud
Poſcere mens fuerat; tuus at me terruit iſte
Faſtus, & averſi duro ſub cortice mores,
Nunc age, ſi quid mite potes, permitte videndum.
Am. Non ſumus agreſtes, non ut tu rere, ſuperbi;
Munus adeſſe putes: hæc noſtra Mapalia ſervant.

Nunc

Nunc fero,nunc redeo.*Lyc.*Jam perge,& munera profer.
Cerne ; volare putes . Secedite : tranſit Amyclas.
Induit oh quoties ſenſus mens docta ſuperbos!
Jam redit, & miram, nec parvam pondere molem
Igneus ore, manu ſuſtentat anhelus utrâque ;
Hic depone : bonum fateamur oportet Amyclam.
Am. Sat videas: ne tange manu : confringere poſſes,
Vel ſaltem fædare : procul, procul eſte bubulci.
Materies oculis non hæc eſt debita veſtris.
Lyc. Cur alibi ſic raro, alibique frequentibus iſthæc
Pingitur, & multo variatur charta colore ?
Am. Rara maris, ſit denſa ſoli tibi pagina ſignum.
Sed lege perque ſuum cognoſcito ſingula nomen.
Lyc. Auſpicium proh quale!prius venit India nomen!
Scilicet hæc illa eſt tot felix India gemmis!
O fortunati quos cælum protulit illud!
Am. Si proprii tibi cura gregis, tibi cura pecùlj,
Otia nec ducas, vanoſque ſequaris amores,
India quod præſtat, tuus & præſtabit agellus.
Volve globum, genteſque alias alio orbe require.
*Lyc.*Obſequor: ignotum mihi nomen charta legendum
Obtulit, ignotum certe California nomen.
Am. Verè paſtor habes! quid ſit California neſcis?
*Lyc.*Num magnū neſcire hæc barbara Nomina crimen?
Am. Rurſus volve globum : Patriiſque aſſuetus in oris
Degere : ne cures Italos excedere fines.
Lyc. Quàm bene reſpondet veris hæc pagina! cruris
Italiam Genitor ſub imagine ſæpe docebat
Eſſe. vide Tybrim ; quàm parvulus! aſpice Romam;
Fœnili minor hic noſtriſque mapalibus illa eſt.
Am. Sed fœnile tuum, ſed noſtra mapalia tantum
Hæc ſuperat, quantum arentem vaſta æquora fontem.
Lyc. Hei miſer!heu fruſtra Romam,Tybrimq;requiro;
Quin Latium amiſi ; quo nunc abiere ? quid hoc eſt ?
Am. Stulte; globum tetigiſti, atque Itala terra receſſit
Lyc. Fare age quid duplex ſibi vult hæc linea?quarum
Al-

Altera directè, obliquè ſecat altera mundum ?
Am. Altiùs hoc repetam. Pictum quæcumq; per orbem
Signa vides, non hæc rere omnia vera: nec illa
Quà patet immenſo diſtincta eſt linea cælo.
Humanum ſolers hìc quæ plerumque notantur,
Protulit ingenium: zonaſque, poloſque, graduſque
Repperit, & multo diviſit clymate mundum;
Addidit & varios, quos hìc diſtinctiùs orbes
Aſpicis expreſſos; varioſque effinxit in uſus.
Namque alii loca diſſita quæque, & quatuor anni
Tempora, diverſoſque dies, longoſque, breveſque
Aſſignant, ſoliſque moras, reditumque viciſſim,
Demonſtrare ſolent; horum qui rectior omni
Mundum ex parte ſecat, bis in anno noctibus æquat,
Dinumeratque dies; ſed qua ratiòne diurnum
Sol iter: integro qua mox iter exigat anno,
Circulus, obliquo qui fertur tramite, ſignat.
Poſſem ego diverſi cauſas tibi dicere motûs,
Diverſaſque vias; ſed paſtoralis avenæ
Hoc ſuperat vires. Nec paucis dicere pronum eſt.
Lyc. Grandia narraſti: ſed quæ meminiſſe, fatebor,
Vix ego ſufficiam; nec tecum pignore certo.
Am. Diſce igitur doctis non inſultare Poetis.
Muneribus noſtris quantum tua munera cedunt,
Cantando Lycidas tantum quoque cèdit Amyclæ,
Sed quid agis? dirimenda alterno carmine lis eſt.
Lyc. Incipiam; tremulo ſed vox male prodit ab ore.
Am. Nempe prius tibi fas proprias expendere vires.
Lyc. Jam redit autumnus, jam torrida deficit æſtas;
Bacche racemiferis ades o redimite chorymbis.
Am. Autumnus Baccho, Cereri ſed carior æſtas.
Semper Apollo favet; mihi ſemper Apollo colatur.
Lyc. Numen cuiq; ſuum; melior mihi Bacchus Apollo
Sufficit ingenium, mentemque accendit, & urget.
Am. Vina tibi: potum mihi purior unda miniſtret;
Sint mea pura precor; ſapiant tua carmina muſtum.

Lyc. Dic mihi Dyrcæo de fonte quis efflu at humor ?
Am. Dic mihi quid ſacro potent in vertice Muſæ ?
Lyc. Odiſſent Lymphas, biberent ſi vina camœnæ.
Am. Deſine: jam crebræ ſaliunt per gramina guttæ,
Et madeſit tellus, & plurimus imminet imber.
Ne pigeat differre alias certamen in horas,
O Lycida; ne forte Globus nunc iſte fatiſcat:
Neve coloratam mihi diluat unda papyrum,
Protinus hinc tollam, ſtabulique intra abdita noſtri
Aſportabo; dies ſi læta refulſerit inde,
Carmina tunc dicemus: amant nam læta Camœnæ;
Et nitido melius cantantur carmina cælo.

E C L O G A.

ARGUMENTUM.

Ludos Olympicos in honorem Illuſtrium Arcadum Defunctorum celebrantes Arcades anno 1753, ſubſtituerant inter cæteros Luctæ Metamorphoſeon quandam ſpeciem. Placuit Authori paucorum in hac Ecloga ingenium, & virtutes exprimere inter quos vel ſimultates aliquot, vel nobilis quædam æmulatio interceſſerat; Quod eorum perceptis Nominibus litterati Viri facile intelligent.

Tityrus. Melibœus.

Tit. EN adſum, Melybœe; tuas ego denique vires
Experiar, diſcinge humeros, præcinge capillos,
Atque ambo in mediam jam deſcendamus arenam.
Mel. Quid verſas animo? quæ ſomnia Tityre fingis?
Non Circum heic video: nulla heic apparet arena.
Tit. Luctandum nonne eſt? mihi ſic narravit Jolas.

Mel.

Mel. Erroris quæ cauſa, patet. Luctaminis illum
Decepit nomen. Luctandum, Tityre; ſed non
Viribus: ingenio certandum eſt Tityre nobis
Tit. Falleris, aut fallis tu nos, Melybœe; ferocem
Nonne vides Erylum, dura in certamina magnum
Qui vocat Euganium? nutuque, & voce laceſſit?
Mel. Euganium, atq; Erylum! pulchrè: videt iſte ſepultos
Poſt tot Olympiadas, ineunt qui prælia, vates.
Tit. Ecce ruunt ambo: dederunt jam claſſica ſignum
Alter in alterius jam tendit brachia collum:
Jam pede pes arte urgetur: jam feſſus uterque
Abſtinet, ut renovet majori hinc impete pugnam.
Ecce iterum: mihi jam ſed nemo apparet, & unà
In tenues Luctator uterque evanuit auras.
Aſt age: nam penitus non illi abiere; canorum
Tranſiit in Cycnum Euganius: pennaſque ſuperbæ
Aſſumens Aquilæ audaci ſuper aſtra volatu
Seſe Erylus tollit, terras & deſpicit imas.
Mel. Falſa videt, ſed vera canit. Quid vivida vatum
Ingenia? Humanum quid non ſibi vindicet Oeſtrum?
Tit. Aſpice. Quà noſtri ſurgunt ſacraria Panos,
Altera pugna ſubit. Stimulis agitatus amaris
Ecce Lycon, magniſque animis, magniſque lacertis
Confiſus, toto circum plaudente Theatro
Dimicat, atque Opycum proſternere nititur. Ille
Viribus opponit vires: torvoque Lyconem
Devorat intuitu; vultu ſed & iſte minaci
Irruit, inque Opycum ſopitas ſuſcitat iras.
Feſſus uterque tamen, tamen & luctatur uterque
Nec victor nec victus adhuc. Verùm, aſpice, Quercũ
Numne vides illam, quæ de tellure repente
Sponte ſua nata eſt, & tempore crevit eodem?
Certe Opycus fuit illa. Lycon ſed & ecce ſonantem
Vertitur in Boream. Ventus furit undique: frondes
Excutit interdum; quin ſæpe tremiſcere ramos
Cogit; at incaſſum convellere funditùs amplam

Conatur Quercum. Quercum ſtridentibus alis
Impetit hàc illàc; crebris ſonat ictibus aer:
Prata, amneſque pavent; Quercuſque immota reſiſtit.
Mel. Certe ego nil video; ſed ſi tot ficta loquentem
Audiat ulterius Melybœus: forſan & ipſe
Quæ nunquam vidi, meme vidiſſe putabo.
Tit. Deſere, Paſtor, oves: rerum facies inopina
Nos aliò abducit. Mars eſt in litore; novi
Fulmineumque enſem, Galeæque inſigne decoræ.
Salve Bellipotens, ſalve. Tibi maximus ecce
Prodit in occurſum Neptunus, & inter ovantum
Agmina Nereidum, dum plauſibus inſonat æquor,
Concutit indomito terraſque, undaſque tridente.
At, mea, nunc video, me fallit opinio; menti
Nunc ſenſus, Melibœe redit. Non Mars mihi viſus,
Non mihi Neptunus. Virtus aliena refulſit
Tam clare, ut Divum credi potuiſſet imago.
Hyppodus eſt, fuerat qui jam Neptunus, & illum,
Qui Mars nuper erat, nunc eſſe videmus Eralgum.
Scilicet Egæis dominabitur Hyppodus undis,
Implebitque ſuis Neptuni regna trophæis,
Albentis dum ſigna Crucis ſeu per mare magnum
Stans celſa in puppi, ſolio ſeu clarus ab alto
Auroram contra, & ſeptemplicis oſtia nili
Victrici immittet tremefacta per æquora claſſe.
Alter at Europa, Libyaque, Aſiaque triumphos
Victor agens, merita, fidei ſimul, Imperiique
Et decus, & columen, cinget ſua tempora lauro.
Mel. Nec tibi Neptunus: nec Mars tibi viſus. Eralgus,
Hyppodus, & quæcumque tuo de pectore promis.
Omnia, crede mihi, ſunt ſomnia. Digere Paſtor
Digere, quæ ſtomacho male ſunt concocta voraci,
Et ſolas circum pecudes, ſolaſque capellas,
Et rivum, & frutices, & ovilia ſola videbis.
Tit. Vera mones: ſed talis erat dum viveret, ingens
Euganius, tantuſque Eryli fuit ardor, & œſtrum,
Ut

Ut Cycni, atque Aquilæ male non convenerit illis
Et forma, & nomen. Quod ſi per prata Lyconem
Contra ſtare Opycum inſpexi, mox viſus uterque
Et Boreæ, & Quercus naturam ſumere, certe
Amborum id mores, vireſque, & territa nunquam
Denotat ingenia. Æquoreas ſed ſi Hyppodus undas,
Litora ſi fama, & meritis implevit Eralgus:
Jure poteſt Numen Maris alti dicier ille:
Dicier armorum, bellorumque Arbiter iſte.

Mel. Tityre: quidnam eſt hoc? tibi Tityre, gratulor; euge:
Paſtor io! tibi cedet Hylas, tibi cedet Amyntas.
Ut bene tutaris cauſam! tibi Bacchus acutum
Sufficit ingenium. Tua ſic deliria velas,
Ut vitia invertens virtutum nomine dones.

Tit. Cedimus hæc ultro tibi nos, Melibœe: ſed unum hoc
Scito; licet noſtrum neuter pugnaverit, ipſe
Victor ero; nomenque tuum ſine honore relinquent
Arcades; at noſtrum repetent quandoque per agros;
Fors & Phœbæa cingent mihi tempora fronde.

EPIGRAMMATA.

Ad Joannem Antonium Vulpium Patavinum Antecesſorem.

TUne meos laudas Vulpi clariſſime verſus?
Muſaque Judicio noſtra probata tuo eſt?
Carmina nunc aliquid, fateor, noſtra eſſe putamus;
Quæque mihi dudum diſplicuere, placent.

Sub Effigie Franciſci Blanchini.

BLanchini effigiem tabulâ qui cernis in iſta,
Inſignem doleas interiiſſe virum.
Noverat Ille quidem Noſtro quidquid patet Orbe,
Noverat immenſo quidquid & Orbe latet.

Hæc tamen haud fuerat ſtudiorum meta ſuorum
  Majus adeptus & eſt a Probitate decus.
Moribus Ingenium quantum concedit; in Ipſo
  Tantum conceſſit Moribus Ingenium.

De Franciſco Valeſio, & Calliſtrato.

NIl non Valeſius; nil ſcis Calliſtrate; ſemper
  Tu tamen heu loqueris, ſemper & Ille tacet:
Sive tua hoc pariat levitas, prudentia ſive
  Illius, in noſtrum cedit utrumque malum.

Inſcriptio Fontis Florentiæ.

QUi bibis hos latices, Cosmi quoque munus adora:
  Hoc & Nympha loci, dum cadit unda, facit.

Ad Franciſcum Lelli de feſtiviſſimis ejus Apologis Elegiaco Carmine adornatis.

HENDECASYLLABI.

DUm Paſſer memorabitur Catulli;
  Dum notus fuerit Culex Maronis,
Dum Phædri Volucres, feræque vivent,
Linguæ non minimum decus Latinæ;
Feles, Simia; Capra, Equuſque vivent;
Quos tu carminibus canis venuſtis;
Lelli, carminibus potens Latinis,
Lelli, carminibus potens venuſtis.

Ad Thyrſillum Erynnidium P. A.

A Glauro Genitrix, Genitor tibi Thyrſis: uterque
  Arcas, & Aonidum charus uterque choro.

Ma-

Macte animis Thyrſille, Arcas, Vateſque: futurus
Nec Genitrice olim, nec Genitore minor.

Ad Agathinum Mariam Reggio, ex Principibus Catenæ, Equitem Hieroroſolymitanum, & Eccleſiæ Syracuſanæ Archidiaconum; nunc Archiepiſcopum Iconij & Siculæ Monarchiæ Judicem inter Arcades Lylibæum.

NUper erant quatuor ſtabili concordia lege;
Junctaque conſtanti pectora amicitiâ.
Strozzius occubuit: Thyram nunc occidit: & jam;
Jam duo de quatuor nos, Agathine, ſumus.
Tu quoque, qui doctis noſtrum lenire dolorem
Carminibus poſſes, degis, Amice, procul.
Ah redeas: Te noſter amor jam diligit unum,
In tres qui nuper diſtribuendus erat.
Redde vices, Agathine; Tuus me diligat unum,
In tres qui fuerat diſtribuendus, amor.

Ad Æneam Sylvium Piccolomineum SS. Domini ab Epiſtolis Latinis, nunc Cameræ Apoſtolicæ Clericum.

ET Patria,& ſtudia, & mores, Nomenque,Genuſque
ÆNEAN in Te reſtituere Tuum.
Quid prohibet quin hunc ſummis quoq; paſſibus æques,
Poſſit in ÆNEA rurſus & eſſe PIUS?

Inſcriptio Fontis pro nemore Parrhaſio.

PRoſpiciant Reliquæ, Nemoriſque, Locique decori;
Extinctura venit Najas iſta ſitim.

In Labienum.

Quiſque ſuos patimur manes; hunc cæca libido;
Illum angit fœdæ crimen avaritiæ;
Plures ambitio, plures tenet improba ventris
Ingluvies; Atrox pluribus ira nocet;
Invidiæ ſtimulis eſt qui crucietur amaris;
Eſt qui deſidiam nutriat uſque ſuam.
Tu ne quo tantum vitio, Labiene noteris;
Traducis vitam per ſcelus omne tuam.

ADONII.

Naſcitur iſto
Quiſquis in orbe
Reddere ſortem
Tentat amicam,
Nemo nec optat
Vivere felix.
Irrequietus
Mille pericla,
Mille labores
Suſtinet æger;
Mille laceſſit
Pectora curis,
Mille fatigat
Numina votis,
Detur, ut olim
Poſſe cupitam
Tangere metam;
Detur, ut olim
Poſſe beatam
Vivere vitam.
Sunt, quibus acris
Occupat omne
Gloria pectus.
Sunt, quibus angit
Cor perituri
Major in horas
Cura peculj;
Sunt, quibus una
Viſa placere
Blanda voluptas.
Ecce venuſta
Optat amatas
Iſte Puellas,
Vincere forma.
Nocte, dieque
Æra recenſet
Anxius Ille, &
Cernit acervum
Creſcere. Dites
Navigat audax
Alter ad Indos.
Militat alter,
Sperat & inter
Horrida Martis

Præ-

Prælia famam.
Ille vetuſti
Rudera Sæcli
Appetit . Ardet
Iſte Matheſin.
Hic Sophus eſſe,
Hic Medicus vult;
Iſte Poetæ,
Rhetoris ille
Nomen anhelat:
Parcite vecors
Turba; labores
Mittite: Inanes
Mittite curas.
Quæritur aurum.
Formaque fruſtra;
Gloria nulla;
Nulla voluptas:
Sit niſi vobis
Crimine purum
Pectus ab omni.
Unica certè
Semper ubique,
Credite, felix
Moribus inſons
Eſt ſibi recti
Conſcia virtus.

FRANCISCUS LELLI
Sabinus.

INTER ARCADES

NADISTUS MANTINÆUS.

Duo Feles, & Simia.

FABULA.

Ampla paraturi duo Feles commoda ventri,
  Hoc inter ſeſe fœdere conveniunt:
Ibimus in prædas ſociali lege; quod inde
  Raptum erit, in partes dividet æqua manus.
Fœderis hoc fuerat pactum, quod uterque viciſſim
  Spondet, & in leges jurat amicitiæ.
Ergo abeunt, magnas animo meditante rapinas,
  Primaque concordi eſt parta rapina manu.

Ca-

Digitized by Google

Caſeus è pingui concretus lacte Tarenti
Præda erat, in partes diſtribuenda duas.
At vix dividitur, franguntur fœdera; major
Altera pars viſa eſt, altera viſa minor.
Hinc vehemens oritur diſcordia; jurgia primum,
Indeque confuſis vocibus arma vocant.
Sanguineis oculis fumabat uterque, tumenſque
Unguibus arrectis unus, & alter erat.
Jamque ingens ardet bellum; mora nulla: furentes
Ira dabat vires, & dabat arma fames.
Alter in alterius ſua figit ſpicula vultu,
Alter in alterius vulnera fronte notat.
Vix retrahunt ungues hoſtili ſanguine ſparſos,
Rurſus in adverſâ ſculpere fronte vides;
Cumque diû fuerit pugnatum, ex Hoſtibus alter
In melius vertens prælia conſilium;
Dividat has, inquit, juſtiſſima Simia lites:
Simia, non renuo, dividat, alter ait.
Unanimes igitur condictum adiere tribunal,
Et ſibi jus fieri ſupplice voce rogant;
Expoſitâque gravi, totâque ex ordine causâ,
Deponunt prædam Judicis ante pedes.
Simia compoſito quâdam gravitate, ſenili
Vultu, quæ formæ Judicis apta foret,
Præcipit afferri, Famulo geſtante, ſtateram,
Quâ ſuper imponi ſplendida furta jubet.
Dimidium prædæ lancis pars obtinet una;
Dimidium pars hæc altera lancis habet.
Suſtinet intereà ſuſpenſam Simia lancem,
Et ſpectat, ſi quo pendeat illa loco.
Ut vidit, dextram inclinari pondere lancem:
Oh quantò, dixit, pars ea major erat!
Non benè diviſum eſt, æquanda eſt utraque, eamque
Unguibus arreptam rodere dente ſtudet.
Verùm plus juſto indulſit gula Judicis, acta
Sive ſapore cibi, ſive furore famis:

Nam-

Namque iterum hâc lanci impoſitâ, pars altera lancis
Impete majori præcipitata ſolo eſt:
Nil tamen id prohibet, tandemque æquabimus, inquit
Simia, & ad leges utraque juris erit.
Vix ea: partem aliam majori carpere niſu,
Majori cœpit dilacerare fame.
Attoniti ſtabant Feles; prædamque videbant
Judicis immenſæ vix ſatis eſſe gulæ:
O quis tunc ſtomacho furor! ó quas concitat iras
Per vacua excurrens viſcera dira fames!
Attamen æquandis intenta eſt partibus illa,
Fungendoque boni Judicis officio.
Res ad id adducta eſt; ut vix a dente voraci
Parva ſuperfuerint fruſtula; penè nihil.
Fabula narrata eſt: at ſi Fora publica ſpectes;
Oh quoties veram tranſit in hiſtoriam.

Capra, Lupus, & Equus.

FABULA.

DUxerat Alcimedon ad pabula nota Capellas;
Dives ubi molli gramine collis erat.
Sederat ad placidam vicini roboris umbram,
Parvus erat vitreis fons ubi purus aquis.
Interea erumpit ſpecie; rictuque minaci;
Proxima quem nutrit Sylva; repente Lupus;
Inque pecus ruit: ut miſeræ videre Capellæ,
Præcipites ſubitæ terga dedere fugæ.
Manſerat una; cui fugiendi nulla poteſtas:
Hanc ſuper ergo vorax irruit ecce Lupus:
Rem tamen o lepidam! fugiendi neſcia, in hoſtem
Cornibus obverſis obvia Capra ruit;
Utque erat expanſo Lupus improbus ore, Capellæ
Cornibus hùc facilis libera facta via eſt;
Perque os in fauces cornu introducit utrumque,
Fitque Lupus Capræ, non Capra præda Lupi:

Il-

Ille catenatas ut ſenſit compede fauces,
Inflicti impatiens vulneris, atque fremens
Hinc trahit, hinc retrahit, ſpiratque e naribus ignem;
Nunc horrendum ululat, nunc pede pulſat humum;
Altiùs afflictis ſed cornua faucibus hærent,
Excutit impatiens quò magis ille caput.
Interea Paſtor jam voce coegerat omnes,
Inque Lupum celeres juſſerat ire canes.
Territus ille ruit præceps de colle, trahitque
Iuvitam ſecum, præcipitemque Capram.
Ambo revolvuntur ſine lege, ſine ordine, mixti
Nunc Capra ante Lupum, nunc Lupus ante Capram.
Quiſque trahit, trahiturque alterno pondere, donec
Terminus abrupti, metaque collis erat;
Cumque erraret Equus ſubjecti in margine campi,
Complexi ſuper hunc ambo repentè cadunt,
Atque ita diſpoſitis humeros æqualiter implent
Molibus, ut Capra hinc pendeat, inde Lupus.
Territus ore Lupi, ac inſueto pondere preſſus,
Ad ſtabulum curſu præpete fugit Equus.
Pallidus interea accurrit ſtabularius ore,
Dignaque res primum viſa timore fuit.
Venerat interea Paſtor, remque ordine narrat,
Atque abit in riſum, qui fuit ante timor.
Ergo Lupum jugulant, fortiſque invicta Capellæ
Cornua ab exciſis faucibus eripiunt
Hic tamen inſurgunt ingentis ſemina litis,
Quam dignam veſtris arbitror ingeniis:
An Domino tradendus Equi Lupus eſſet, & idem
Sitne Capræ Domino debitus emeritæ:
Capra Lupum tenuit, cornu remorataque utroque eſt,
Ergo Capræ præda eſt debita, Paſtor ait.
Mactandum ſed traxit Equus, Stabularius inquit,
Nec viâ functus, ni traheretur, erat.
At nunquàm traxiſſet Equus; mox addidit ille,
Ni captus Capræ cornibus ille foret.

Sed

Sed quamquàm captus, poterat ſe robore tandèm
Eximere intruſis cornibus, alter ait.
Intereâ novitate rei, cùm plurima adeſſet,
Sciſſa erat in partes ruſtica turba duas.
At ſurgens Senior venerabilis ore, tacere
Admoto labiis indice utrumque jubet,
Et baculo incumbens nodoſo è robore, dextro
Huic ſuperimpoſito cui pede nixus erat:
Par, ait, ambobus partum jus arbitror; ergo
Dividite in partes inter utrumque duas.
Conſona juſtitiæ viſa eſt ſententia utrique,
Atque ita concordi fœdere conveniunt.
O fortunati, quibus hanc componere litem
Contigit, agreſtis Judicis arbitrio.
Capra, Equus, arque Lupus ſatis in diſpendia litis
Non erat urbani Judicis ante forum.

Aſellus, & Canis.
FABULA.

Uno ſub Domino, laribuſque exceptus eiſdem
Formoſus Canis, & turpis Aſellus erat;
Diſpare ſed fato: ſubſternere cogitur alter
Intolerabilibus tergora ponderibus,
Impoſitoque impar oneri ſi forte recuſat
Ire, truci ſtimulo, ac fuſtibus impetitur;
Cumque domum rediit, turpe ad præſepe reducto
Sunt duri frutices, & rudis herba cibus.
At contra Catulus mollis grata otia vitæ
Blanditias inter, deliciaſque trahit.
Illum ſæpe ſuo Dominus gremio excipit, illum
Sæpe ſuâ pectit, ſæpe lavatque manu.
Ad Domini menſam communia fercula libat,
Et Domini in thalamo nobiliore cubat.
Invidiæ, hæc ſpectans, ſtimulis agitatus Aſellus
Sæpe hæc demiſſis muſſitat auriculis:

Cur

Cur ego, qui Domino toto vigil obſequor anno,
Et qui perpetuo penè labore premor,
Excipior parco infelix, ac paupere victu,
Immò importunâ langueo ſæpe fame,
Et quamquam ſceleris purus, ſic verbere tundor,
Ut ſæpe intumeant terga, caput, ſcapulæ.
Hic contra inſipiens; qui rebus ineptus agendis
Ad Domini imperium nec leve munus obit,
Qui ſatur, & pinguis ſtertit noctesque, dieſque,
Solus amor Domini eſt, deliciæque ſui!
Interea ſpectans, Domino redeunte, quòd ille
Obvius extemplo proſilit ante fores,
Continuò adlatrat, caudâ blanditur, & illum
Crebris feſtivis ſaltibus aggreditur:
Hoc erat ergo, inquit, cur hic mercatur amorem,
Atque ego cur fuſtem mercor, & opprobrium;
Hic Dominum officiis ſapiens lucratur; eidem
Nullum ego ſed refero ruſticus officium;
Sed cur non referam poſthac? mihi gratia forſan,
Et lepor, & ſpecies deſit, & ingenium?
Nonnè, ego ridiculo hoc & formâ, & corpore major?
Nonnè ego concentu vocis amabilior?
Hæc reputans, Dominum redeuntem expectat, ut audit
Ante domus illum jam prope ſtare fores,
Erumpit ſtabulo, labiiſque hinc inde retractis,
Turpibus exertis dentibus, atque caput
Ante agitans, retròque, obſcenum è gutture murmur
Ecce incompoſitis vocibus ingeminat;
Inde novo officii genere exurgens pede utroque
Anteriore, ſuum proruit in Dominum.
Ceu Monſtri ad ſpeciem, fugiendo protinus ille,
Ut potuit, ſeſe territus eripuit,
Mox irâ accenſus: baculo, quem forte gerebat,
Tam bene blanditias, officiumque refert,
Ut nunquam infelix hæc in deliria poſthac,
Factus ab exemplo cautior, inciderit.

Cum

Cum ſemel urbanus fieri tentaſſet Aſellus,
Audiſtis, res hæc quàm malè geſta foret.
Qui ſemel eſt Aſinus, ſeſe lavet, inſtruat, ornet,
Idem eſt perpetuâ ruſticitate Aſinus.

Pauper per jocum Princeps.

FABULA.

EBrius ante viam reſupinâ fronte jacebat,
Veſtibus, & turpi ſordidus ore Senex,
Horrendum ſtertens cum ſomno pocula hianti
Gutture, & inflatis naribus hauſta vomit.
Digna adeò riſu viſa eſt recubantis imago,
Collecta ut circum plurima turba foret.
Belgarum Princeps fortaſſe hâc tranſit, & ingens
Quid vellet circum fuſa caterva, rogat,
Cumque rei ſeriem retuliſſent, nobile riſus
Hinc argumentum carpere poſſe ratus:
Illum, ait, ò Famuli, hinc removete, abradite barbam,
Sparſaque odoriferis membra laventur aquis.
Sordibus abſterſus, laceroque exutus amictu
In noſtro recubet ſplendidiore thoro.
Rem Famuli complent; nec ſomno ceſſerat ille:
Vis ferveſcentis tanta ſoporis erat.
Alterius cum lapſa foret pars magna diei,
Exhauſta & longo vina ſopore forent,
Excutitur tandem: ter brachia turpia tendit,
Detergitque oculos terque, quaterque manu:
Aſt ubi Barba frequens? ubi ruſtica, & aſpera ſaxis
Quâ recubabat, humus? ſordida veſtis ubi eſt?
Somniat, an vigilat? nitidâ ſe ſpectat in aulâ
Degere, & in molli ſe recubare thoro.
Ambroſiam redolent auræ, dum plurima circum
Inter regales gemma refulget opes.
Qualis veneficis quando Maga Theſſala ſuccis
Aereas Stygiâ conſtruit arte domos,

Hæ-

Hæret ad hæc dubius, patuloque ſtat ore Viator;
Atque oculis anceps datque; negatque fidem;
Non ſecus ad viſum criſpatâ fronte, tremenſque,
Et dubio ignarus conſtitit ore Senex.
Ut ſomno excuſſum Famuli novere (latebant
Namque aulæ juſſu Principis ante fores)
Ingreſſi primum inclinatâ fronte ſalutant,
Plurimaque obſequii ſigna dedere ſui;
Mox: Proceres, ajunt, expectant Urbis in aulâ,
Et ſpectare ſui Principis ora rogant.
Principis ad nomen: trahor in deliria? Pauper
Secum inquit, vel adhuc fortè ſopore premor?
Circumſtant Famuli intereà, indumentaque præbent
Nobilia; hic caligas exhibet, hic tunicam.
Cumque foret pompâ regali indutus, in aulam,
Quam complet Procerum plurima turba, trahunt.
Ejus ad adventum ſurgunt, reverentur, eumque
Perpetuò pronâ fronte valere jubent.
Plura deindè rogant: an ſit ſpes proxima pacis,
Et quid de bello nuncia fama ferat.
Hæret ut ad Monſtri ſpeciem perterritus Infans,
Sic patulo ignarus manſerat ore Senex.
Se ſpectat dubius, ſed ſe non invenit in ſe;
Non ſuus ille habitus, non ea forma ſua eſt.
Unde ſibi Famuli, & faſtus, inſuetaque pompa?
Unde ſibi obſequium? nobilis unde domus?
Inque alium migraſſe, at quânam neſcius arte,
Et ſeſe extrà ſe protinus eſſe ſtupet.
Intereà Princeps propiore in parte latebat,
Unde oculis pateat ludicra ſcena ſuis;
Cumque erumpentem nequeat compeſcere riſum,
Comprimit ora manu, labraque dente premit.
Sic Famuli, & Proceres inflato gutture labra
Mordentes riſum vi cohibere ſtudent.
Sternitur intereà, Procerum comitante coronâ,
Splendida magnificis menſa parata cibis,

At-

Attonituſque Senex in principe parte locatur,
Cui primas offert turba miniſtra dapes.
Viſa Seni melior ſcena hæc, ceſſitque parumper
Summus, qui mentem preſſerat ante, ſtupor.
Quidquid id eſt, certè prodeſt: cur ergò lubentèr,
Secum ait, exhibitâ non ego ſorte fruar?
Conſtituitque animo, oblato bene munere fungi,
Et valido impoſitas dente referre vices.
Ergò hilari indulget tuto famis impete menſæ,
Dignaque Regali Principe viſa gula eſt.
Tandem inter ludos, cantuſque, hilareſque choreas
Feſtivam noctis ſuſtulit umbra diem.
Tunc ratus huic finem Princeps imponere ludo,
Ad ſua conſtituit reddere jura Senem.
Ergo jubet Famulis, dent inter fercula cœnæ
Plura ſoporifero pocula mixta mero;
Inde ſua rursùm præcinctum veſte reponant
Ante viam, heſternà ſuſtulit unde die.
Imperium complent Famuli, dùm pocula ſomno
Ignarus rerum digerit hauſta Senex.
Ultima, quæ tandem ſupereſt, lepidiſſima Scena eſt;
Altera nec riſu dignior eſſe poteſt.
Dulce adeò imperium Pauper guſtaverat, illo
Orbandum ut nunquam ſe fore crediderit.
Vix ergò redimit languentia lumina ſomno,
Complerat medium dum rota Solis iter:
Heus Famuli, clamat, Famuli; ſed talia fando
Extrema in mediâ eſt Syllaba fracta gulâ.
Spectat... quid ſpectat? ſunt hæc, vel prima fuere
Somnia? ubi aula, & opes? regia veſtis ubi eſt?
Quo Proceres ceſſere, & mollis ſtragula lecti?
Quo ceſſit Domino turba miniſtra ſuo?
Membra ſibi laceras iterùm circumdare veſtes
Spectat, & in duro ſe recubare ſolo.
Heſternâ, ſecum ajebat, mihi ſumma poteſtas,
Imperiumque Urbis non erat ergò die?

Non ergo proceres me dignabantur honore ?
Non erat imperiis ſubdita turba meis ?
Quâ vanâ deludor imagine ? Somnia forſan
Specto hodie, vel heri ſomnia forſan erant ?
Somnia ſed tandèm novit tranſacta fuiſſe
Gaudia, & heſternum Principis imperium.
Sic poſtquam unius fuerat miſer ille diei
Princeps, vix parto decidit è ſolio.
His ſcenis plenum eſt hoc Orbis grande Theatrum;
O quota pars hominum ſcenica turba ſumus!

Simia, & Felis.

FABULA.

UT ſibi caſtaneas, parvo contenta, pararet
Torrendas cœnæ in fercula pauper Anus.
Cortice transfixo, diſrumpit viſcera cultro,
Ne crepitent ſparſo, diſſiliantque foco;
Atque capax mediis diſponitur area prunis,
Caſtaneas tremulâ quò jacit indè manu;
Mox calido mixtum cineri ſuperaggerit ignem,
Ne ſit ab immodico noxius igne calor.
Hinc aliò migrat, lectum ſeù ſternere, ſive
Cœnam expleturas ſumere fontis aquas,
Aut dextra tentare domus clauſa oſtia, duro
Cardine, & an ſtabili ſint benè firma ſerâ,
Seu ſtruere inſidias capiendis muribus, illas
Ne fugiat, ſi quis Felis ab ungue fugit,
Seù Gallinæ Anum digito explorare minori,
Anne ovum exorto ſpondeat illa die,
Cætera ſive domus complere negotia, donec
Matura ægrotis dentibus eſca foret.
Manſerat interea cuſtos innixa camino
Simia, ubi hybernum mitigat igne gelu.

Hanc

Hanc Comitem Mulier plures nutriverat annos,
 Altera nec poterat dignior eſſe comes.
Hæc, ubi ceſſit Anus, ſummum meditatur, & atrox,
 Præſenti arreptâ commoditate, nefas.
Quot ſcelerum eſt genetrix plerùmque occaſio! ſtare
 Pectore ad hanc firmo Simia non potuit.
Ergo reluctandi furibundo neſcia ventri,
 In Dominæ cœnam dentibus ire parat.
Res tamen hæc facili non eſt explenda labore;
 Cum ſit per medios eſca petenda rogos.
Nulla ibi vel forceps, aliud ſive utile ferrum,
 Quo cibus è prunis extraheretur, erat.
Vidit, & ingemuit criſpato pallida naſo,
 Neſcia ſtare loco, neſcia ferre moras.
Tandem animo conſtans, quid non mortalia cogit
 Pectora, fræni expers, impatienſque fames?
Spernere in extremis extrema pericula rebus,
 Et tentare truces deſtinat ungue rogos.
At quoties dubios protendere nititur ungues,
 Incœptum toties territa rumpit opus.
Ter pavidam admovit dextram: ter cauta retraxit,
 Terque fames urget, ter vetat ignis edax.
O furor, o rabies! ſtudia in contraria fervet,
 Alternantque ſuas ira, dolorque vices;
Et cupit, & metuit, ſuſpenſaque pendet, eamque
 Scindunt in partes hinc timor, inde fames.
Circum oculis, & naſo exploratore pererrat,
 Labraque nunc mordet, nunc ſcabit ungue caput;
Nunc deſperatam muro frontem admovet, ungues
 Anxia nunc rodit, nunc pede verrit humum.
Si quis in hoc cœtu eſt, & erit fortaſſe, vorator
 Helluo, quanta ſit hæc pœna, referre poteſt.
Quid gerat infelix? O quanta induſtria ventri!
 Quanta fami mens eſt ingeniumque gulæ!
Forte ibi Felis erat, recubans quæ corpore toto
 Igne tepeſcenti ſtrata cubabat humo;

Improba vix ſpectat recubantem Simia Felem,
  Hoc gula ſuppeditat nobile conſilium:
Irruit in Felem: fauces hoc arripit ungue,
  Configitque ſolo, hoc arripit ungue pedem,
Arreptoque agitat cineres, quò, forcipis inſtar,
  Dudum exoptatos extrahat igne cibos.
Illa reluctatur, furit, ardet, nititur, urget,
  Totiſque obluctans viribus, ore fremit:
Dente terit dentem, curvos exaſperat ungues,
  Et torta horrendas exprimit aure minas.
Cauda tumet, fumant nares, frons aſpera turget;
  Ira ſubeſt oculis, flammaque ſanguineis;
Omne tamen ludit majori robore robur
  Simia, & incœptum durior urget opus,
Fertque, refertque ungues, tentatque, iterumque retentat.
  Atque leves cineres irrequieta movet;
Nec miſeræ parcit duriſſima Simia, donec
  Caſtanea è prunis ultima rapta foret.
Sic trahit optatas alienis unguibus eſcas,
  Atque ſuam reparant damna aliena famem.
Nunc mores perpende hominum: ſæpiſſimè eadem
  Inter & humanum vivitur arte genus.

MUTIUS SCÆVOLA
Tyburtinus

INTER ARCADES

NEVILLUS ARACINTIUS.

ELEGIA.

NOs equidem vultu Fortuna aſpexit amico,
  Qui colimus Montes, & nemora Arcadiæ.

Cum

Cum lucet viridi ros matutinus in herba,
Paſcimus errantes læta per Arva Greges.
Si cælo æſtivus diffundat Phœbus aperto
Lumina, Paſtores umbra tegit Platani,
Quâ Volucris dulci modulamine detinet auras,
Et rivus tremulis ire laborat aquis.
Texere fiſcellas juvat, & cantare ſub antro,
Si de nube ruens alluat imber humum,
Balanteſque Greges ad ſepta reducere, primis
Cum ſurgit tenebris nox adoperta caput.
Nec gelidus parvam terror circumvolat ædem,
Aut ſomnum diris turbat imaginibus:
Ille petit magni Tectum Regale Tiranni,
Qui pavet audaces in ſua damna manus;
Et tantum Paſtorum Animos ea cura fatigat,
Ne incuſtoditum captet Ovile lupus.
Interdum rigidi nimis inclementia amoris.
Nos cogit paucas fundere lacrymulas:
Sed tamen aut blandis verbis, aut munere parvo
Nympharum facile eſt flectere duritiem.
Hic, precor, inter Oves, fonteſque, & amæna vireta
Parca dies rumpat non metuenda meos;
Dummodo mæſta Soror condat mihi lumina, & ori
Pallenti cûpiat figere baſiolum:
Paſtoreſque tegant diverſo flore ſepulcrum,
Et dicant flentes: hic quoque Paſtor erat.

ELEGIA.

PHæbe Pater, valeas, caſtæque valete Sorores;
Salvete, o Collis Numina Parrhaſii.
Nunc repetam gelidi reſonantia Tiburis antra,
Multa ubi per cæcas volvitur unda vias.
Non ego, dum tenera attondent virgulta Capellæ,
Dicam diſparibus carmen arundinibus.

Carmina nulla canam; pendebit Fiſtula quercu,
Et diſcet Zephyris reddere tacta ſonos.
Non ſemper curvus Tellurem findit Arator,
Nec petit Æquoreas Navita ſemper aquas.
Otia me poſcunt, patrii & ſolatia ruris,
Me manet umbroſi grata quies Nemoris.
Aut ego, qua rivus ſaxoſis obſtrepit undis,
Dulcis & arguto gutture plorat avis,
Intexam pictas vario de flore corollas,
Quæ poſſint crines, Phylli, decere tuos:
Inſcribamque meum viridi ſuper arbore amorem,
Ut cum ſurgenti cortice creſcat Amor.
Sive peregrinas viſco captare volucres,
Tendere ſive feris juverit inſidias:
Nec non pampineis decerpere vitibus uvas,
Et legere extenſa pendula poma manu.
Traducamque dies jucunda per otia, donec
Invida lætitiæ ſæva redibit hyems.

CA-

CAROLUS NOCETI
Parmenſis

INTER ARCADES

NICETAS PHALANTIUS.

ECLOGA.

Eupolus, Thelgon, Piscatores.

Friderici Regii, atque Electoralis Saxoniæ Principis in Patriam reditum alter precatur, alter timet.

Forte ubi tyrrenis Neptuni portus ab undis
Effugit, & puppes tuta ſtatione recondit,
Daphnis amor Dryadû deſcenderat: inclyta regum
Progenies; & cura Deum juſtiſſima Daphnis;
Quem Dorylas Pater Albino de litore nuper
Miſerat ad Tybrim, latiæ ſpectacula pompæ
Viſere, vel potius latios renovare triumphos.
Huc quoque regalem Juvenis mirata decorem
Piſcatorum ingens venit manus: Eupolus alta
Tybridis e ripa: Thelgon glacialibus oris:
Ambo apti calamis, apti piſcatibus ambo.
Atque hi dum natos non uno e fonte timores
Pellere conantur; dum cantu effundere quæſtus
Quiſque ſuos cupit; alternis cæpere cicutis
Protinus hoc Thelgon, hoc Eupolus ordine carmen.
Th. Nereides gelidi nymphæ maris: aut mihi veſtro
Rurſus ab urbe domum revocetur numine Daphnis:
Aut ſi tanta Deum nulli permiſſa poteſtas,

Sutilis in ſicca tabeſcet pinus arena.
Eup. Tybri pater, flavoque Deæ quæ luditis amne
Najades; in veſtro formoſum littore Daphnin
Aut proprium retinete: aut ſi iſtas liquerit undas,
En' uro hic cymbam, & curvos cum retibus hamos.
Th. Qualis fraterno ridens ſub ſydere pontus,
Quum freta detumuere, & fluctibus incubat altis
Tuta quies, nullique agitant vada fervida cori;
Talis ego in noſtra dum luderet ille carina.
Eup. Aſpicis ut ventis reſonet furialibus æquor?
Jam pelago furit unda: tonat jam regia cœli
Deſuper: & trepido litus fremit omne tumultu.
Talis ego, hinc alias abeat ſi Daphnis in oras.
Th. Saxa dabant muſcum; pendentes oſtrea rupes;
Rhombus fallaces ultro occurrebat in eſcas.
Omnia defecere ſimul: nunc æquore in ipſo
Aſpicies ſiccas diſceſſu Daphnidis algas.
Eup. Jam nec honor muſis; nec erat ſua gloria lauro
Parcior & vatum venis fervebat Apollo:
Daphnidis adventu rediit calor omnis: & ipſæ
Dulcius Arcadiæ modulantur carmen avenæ.
Th. Triſte notus pelago: conchæ falſa unda patenti
Fuſa ſuper: cymbis currentibus æſtus arenæ.
Diſceſſus mihi, Daphni, tuus. Liventibus herbis,
Et mihi cœrulea diſceſſus amarior unda.
Eup. Dulce vadis Zephyrus: medicatæ piſcibus offæ;
Oebalii fratres nautis; ſua flamina puppi.
Adventus mihi, Daphni, tuus: beneolentis Hymetti
Floribus, & tota adventus mihi dulcior Hybla.
Th. Sunt bis quinq;(mihi namq;hæc referebat Amyntas,)
Inſulæ Oceano in magno felicibus oris.
Littora, ſed rurſus Daphnis, ſi ad noſtra redibit;
Quis mihi felices inquirere ſuadeat oras?
Eup. Eridanus ripa: fundo celebratus Enipeus;
Lata Rhenus aqua: Pactolus fluctibus aureis.
Tybris habet Daphnin, Daphnin dum Tybris habebit,
Non

Non mihi ſe flavis jactet Pactolus arenis.
Th. Regna Pater ſervat: curarum in pondere tanto
Pulchra Patrem relevat Mater, ſua Pignora Matrem.
At ſi aberis tu, Daphni, Patrem nec regia Mater,
Nec poterunt mœſtam Fratres relevare Parentem.
Eup. Omnia nunc plaudunt: Fulva Tyberinus ab urna
Lætus ovat, priſcoſque ſibi non invidet annos.
At ſi abeas tu Daphni, ſuo ſe gurgite condet
Squallidus, & triſti nunquam caput efferet amne.
Hactenus hæc illos tyrreni ad litoris undas
Felici nimium memini depromere cantu.
Namque & regales Daphnis cantantibus aures
Præbuit, & meritis cumulavit carmina donis;
Donis, quæ ſibi Cimodoce, quæ candida Drymo,
Romuleæque omnes cuperent habuiſſe Napeæ.
Argilla hic tenui, & pictis decorata figuris
Pocula bina tulit. Veros ibi currere cervos
Per juga ſumma putes; ſequitur venator anhelos
Acer equis, longoque necat ſine vulnere curſu.
Ille urnam fulgentem auro, ſigniſque rigentem.
Quam circum laurus late victricia fundit
Brachia complectens, inſcriptæ nomina Regum
Oſtendunt frondes: magnos, niſi fallor, Othones,
Henricos, Lotharoſque: & quæ mihi legit Amyntas
Ordine quæque ſuo, ſed non ego lecta recordor.

Glaucus

Cl. Viri Scipionis Marchionis Maffeii ſtudia celebrantur.

Sed nimium notas ponti refluentis arenas,
Littoraque, & remos ſtantis prope littora cymbæ
Linquite Pierides: ſtat jam majoribus auſis
Velivolam tentare Thetin, ſtat pellere puppim

Ul-

Ulterius, fremituſque omnes ſuperare marinos.
Tuque ades, & pelago ne dedignare patenti
Vela dare inſinuans, tenueſque audire Camœnas,
Quas tibi prærupti de verticibus Parnaſſi,
Si quid is eſt labor, ad liquidas deduximus undas.
Sic tibi cum veterum relegens veſtigia Patrum
Divitias ſuperùm reteges, noſtrumque docebis
Pectus ut arcanis irroret Gratia rivis,
Annuat, & magnus tibi, Scipio, concinat æther;
Et fremitu tibi monſtra ſuo cocytia plaudant.
Glauci Romuleas modulatum carmen ad undas
Accipe nunc, & noſce tuas in carmine voces.
Quà ſpectat latiæ Tyberis miracula pompæ
Regnator, veniens Benaci e littore Glaucus
Auguſta in ripa conſederat: atque ibi ſegnes
Laurentis fluvii dum perſcrutatur arenas,
Et ſtupet antiqui monumenta abſcondita luxus,
Mulcere aërias incœpit cantibus auras:
Incœpit, preſſiſque ſimul Tyberinus habenis
Frœnavit curſum, & meliori murmure capti
Aëre ſuſpenſos venti tenuere ſuſurros.
Nam canit ut Dextræ prima omniparentis alumna
Materies viſi correpta cupidine Pulchri
Flagrarit, thalamoque Deum complexa jugali
Hæreat uſque comes; nec ni cœleſtibus acta
Imperiis viduo ploret deſerta cubili.
Utque igni, & terræ hinc fuerint, animæque, marique
Principia, atque novis etiamnum exordia rebus,
Quas paſſim attonitæ ſpectant conſurgere gentes.
Inde refert jactam phœbea è lampade lucem
Per ſudum gyros glomerare, atque ætera totum
Cingere, in adverſos donec ſalit aurea montes.
Qualiter immoto ſi quis volventia fundat
Saxa lacu, fugere undæ, & ſumma æquora curvis
Criſpantur tergis, inſertique orbibus orbes
Diſcurrunt, creberque ad ripas frangitur arcus.

His

His addit qua vi contriſtent aera nimbi,
Quum pluvias, hiemeſque ferunt; his tortilis ignes
Fulminis, errantemque ſequentia cœrula lunam.
Utque hinc alternis aut litus verberet unda
Aſſiliens ſuper, aut brevius ſe colligat æquor.
Mox Equitum ingenuas mentem formare per artes
Aggrediens; ſolidi leges componit honoris
Legibus æthæreis; atque arcto fœdere jungit.
Hinc Patriæ decora alta ſuæ; ingentumque laborum
Relliquias, magnæque remota exordia gentis,
Palladiaſque refert animas, & martia corda.
Tum veteres ſcrutatur opes; atque eruta terris
Marmora: tum priſcas ſenio turpante papyros
Tergit, & obſcuris afflat nova lumina chartis.
Quid memorem ut majora orſus, magnumque Tonantis
Ingreſſus penetrale, canat, qua luce retectum
Divinæ pateat menti toto orbe quod uſquam eſt;
Quæ fuerint, quæ mox ventura in ſæcla trahantur,
Nulla licet cauſis horum picta iret imago?
Nec lateat ſupremam aciem gens libera quicquid
Arbitrio uſa ſuo pareret fandi, atque nefandi
His ſi opibus, vel ſi aucta foret divinitus illis?
Tum Pindi lucos, latebraſque ingreſſus amœnas
Pieridum, Auſonii peragrat ſpatium omne Theatri
Arduus, & totas vocat in certamen Athenas.
Teque tuo primum minitantem funera nato
Compellat Merope, & queſtu deterret acerbo.
Ah miſera; ah male cauta! tuo quid ſanguine tentas
Commaculare manus? nec dum tua viſcera cernis
Perdita, nec vultus Polydori agnoſcis amicos?
Ah miſera, ah male cauta! tuus, tuus ille. Quid ultra
Cœca furis? Prohibe infandam a cervice ſecurim.
Ulciſci quod rere, patras ſcelus. Illa tenebras
Diſcutit, & tanto pectus concuſſa periclo
Concidit exanimis: vos hanc famulantibus ulnis
Excipite, o Sociæ, & rebus ſervate ſecundis.

Tum

Tum canit infandas cædes, & dira Tyranni
Crimina, tum meritas ſcelerato a ſanguine pœnas
Exigit, & ſacras Polyphontem obtruncat ad aras.
Quid loquar, ut dulces leviori pollice chordas
Temperet, & fidę memoret ſuſpiria Nimphæ,
Aut nimis urbanos Plautino ut carmine ritus
Vellicet, & riſu vitium perſtringat amaro?
Poſtremo puerum, quem tot ſceptra alta manebant;
Extinctum luget, miſerumque in funere Patrem,
Heu! non jam Patrem, dictis ſolatur amicis.
Heu miſerande Puer! quanto regna omnia luctu
Impleſti abſcedens! totam furialibus armis
Concuſſam Europam, atque undantes ſanguine campos,
Et deſolatas paſſim deflevimus urbes.
Tu tamen interea cognatis redditus aſtris
Nectareos ducis ſuccos, ſanctaque Deorum
Paſceris ambroſia, & riſu mortalia temnis.
Quæ dum cuncta canit plauſum mavortia tellus;
Tarpejumque jugum, & Capitolj immobile ſaxum
Edidit, & cantum cupidæ didicere Napeæ.

CELADON PASTOR, LYCIDAS PISCATOR.

D. Petri Apoſtolorum Principis laudes canunt.

Lyc. DIc mihi, cur domina, Celadon, tā Serus ab Urbe?
Nam tibi nec gelidi dura inclementia Cœli,
Nēc pluviæ fecere moram: formoſior unquam
Non fuit ulla æſtas, nec tempore forſitan ullo
Tam levibus mites ſpīrarunt flatibus auræ.
Certe ego cœruleos dum ſector arundine piſces,
Aut placido vacuas demitto in gurgite naſſas,
Nunquam immota magis vidi ſtare æquora; nunquam
Clarius ex imo tenues ſe prodere arenas.
Cel. O qualis, Lycida, qualis ſpectacula pompę,
Qui cantus, feſtique ignes, quæ gaudia denos

Me

Me Romæ tenuere dies! quæ dum omnia mecum
Nunc etiam recolo, mihi crede, virentia ſordent
Prata, nec agreſtes, cum forte in gramine molli
Ruſtica turba ſalit, poſſum jam ferre choreas.
Lyc. Non equidem temere tam longo tempore rebar
Linquere te ſolas voluiſſe per arva bidentes.
Præſertim cum nec Pholoe, neque Chloris adeſſet,
Quæ paſtos caulis noctu concluderet agnos.
Verum ea quæ fuerint, Celadon, da gaudia nobis.
Auditis quoque rebus ineſt ſæpe æqua voluptas.
Cel. Hoc equidem volvo, tenui ſi claudere verſu
Cuncta queam, læta quæ paſſim adſpeximus Urbe.
Proxima lux aderat, magnum quæ Daphnin Olympo
Intulit, & numerum Divorum altaribus auxit.
Quis tamen hic primum ductam longo ordine pompam,
Perque vias ſtrepitumque equitum,ſonitumque rotarum
Cantibus æquiparet? mediis cum in millibus Heros
Iret, & in templum dona ampla inferre pararet?
Vel cum Quadrupedem phaleriſque oſtroque ſuperbum
Principis ante pedes ipſa intra limina templi
Veſtigal regnorum, atque alti nomine Regis
Siſteret, & multo loculum daret ære ſonantem?
Atque utinam poſſem tibi verba alterna referre.
Sed mea paupertas, braccatique agminis haſtæ
Submotum longe voces audire vetarunt.
Magnum Illum tamen adſpexi, qui paſcua late
Cuncta tenet, cunctumque orbis regit unus ovile;
Cui pecudes parere ferunt, pecudumque magiſtros.
At quanto inceſſit perfuſus lumine frontem,
Quem ſeſe ore ferens! ſcires, pia numina terris
Daphnidis hunc poſuiſſe loco; tantum inſtar in ipſo eſt.
Sed jam veſper erat, cum centum exploſa repente
Æra tonant, magniſque laceſſunt ictibus auras,
Undique & omnigenas turris vomit ardua flammas.
Ut ruit in campos denſiſſimus ætere nimbus;
Ut juga coniferæ cingunt montana cupreſſi;

Ut

Ut ſubitæ extructis ſaliunt de fontibus undæ :
Sic ego vidi ignes : tum longo limite ſulcos
Surgere flammarum , & ſtellas fluere inde cadentes ,
Quin etiam cœlo , ſi quidquam credis , aperto
Vidimus ignitos , ut in æquore , ludere piſces ,
Et trepidam huc illuc agitare per aëra caudam .
Quos tibi ſi , Lycida , tua fata videre dediſſent ,
Forſitan in ſuperos jeciſſes retia campos .
Quid loquar , ut cunctis exinde Urbs tota diebus ,
Thure vaporatas , precibuſque incenderit aras
Daphnidis , & ſacros templis celebrarit honores?
Nec requievit enim ; donec tandem extulit ortus
Nona aurora ſuos , radiiſque retexit Olympum .
Quid tamen exiguis juvat hæc tenuare camenis ?
Tu potius , tantis ut plauſibus adſonet æquor ,
Quaque licet , dominam referant tua litora Romam ,
Incipe , ſiquid habes ; & Daphnin concava portus ,
Pulſati Daphnin repetant per cærula fluctus .
Incipe : piſcator meruit ſibi talia Daphnis .

Lyc. Immo hæc, quæ latias properavi nuper ad undas,
Quæque meus legit , nec ſpernere viſus , Amyntas ,
Incipiam : modo tu , Celadon , tua carmina nobis
(Nam pavit quoque Daphnis oves) meliora rependas .

Cel. Tecũ equidem non unquã auſim certare canendo,
Quid tamen & noſtræ poſſint in Daphnide muſæ ,
Experiar : ſed tu meditatos incipe verſus ;
Incipe : quando acres nullus mulcere procellas
Lenior , & motos cantu componere fluctus .

Lyc. Vellite ab invitis nodoſa corallia ſaxis ,
Oſtreaque , & toto conchas perquirite ponto
Nereides ; dignum non unquam Daphnide munus
Illius ad tumulum , ſacraſque feretis ad aras .

Tollite ad aſtra bonum, mea carmina, tollite Daphnin,
Dum traheret piſces : dumque aurum piſcis in ore
Solveret inventum : fortaſſe hæc dona decebant .
Poſtquam illum juſſit ſummi Regnator Olympi

Li-

Litus ad æternum potiores ducere prædas,
Gemmiferas, Divæ, ſpolietis oportet arenas.
Tollite ad aſtra bonum, mea carmina, tollite Daphnin.
Sed quid ego hæc autem neptunia numina poſco?
Fabula jam Nereus: Panopeque, & candida Drymo,
Fabula Cymothoe: ſed non & fabula Daphnis.
Ille hominum miſera tenebras de mente fugavit:
Compulit & vanos toto orbe faceſſere Divos.
Tollite ad aſtra bonum, mea carmina, tollite Daphnin.
Ille novus pelago Deus additus: Ille tuetur
Ætherios poſtes: terris Ille imperat imis.
Subdidit & parva circum maria omnia cymba.
Atque unus tria regna ſacris moderatur habenis.
Tollite ad aſtra bonum, mea carmina, tollite Daphnin.
Daphni, tuam cunctas victricia vela per undas
Explicuiſſe ratem, Pœni, Ammericique loquuntur,
Horridus arctoa loquitur piſcator in acta,
Atque Arabes, Perſæque, atque exttemi Garamantes.
Tollite ad aſtra bonum, mea carmina, tollite Daphnin.
Ite ſacræ puppes: & ſceptrum Daphnidis omnes,
Siqua ſuper non nota manet: protendite in oras.
Nec ſignorum obitus poſthac ſervate, vel ortus.
Ecce novum cœlo proceſſit Daphnidis aſtrum,
Æquore jactatis melior cinoſura carinis.
Tollite ad aſtra bonum, mea carmina, tollite Daphnin.
Aſt ego ubi cineres felix tegit ara ſepultos,
Quatuor & magnæ ſinuoſo ex ære columnæ
Aurea fulgentis ſuſtentant culmina tecti,
Igne ſacro, & plena thuris venerabor acerra.
Votaque ſemper erunt, & cum tentabimus æquor,
Et cum ſervatas referemus ab æquore puppes.
Tollite ad aſtra bonum, mea carmina, tollite Daphnin.
Tu tamen ætherei ſervas qui limina portus,
Sis pius o! bone Daphni, tuis: bella (aſpice) venti
Dira movent, cæcaſque occultant marmora cautes.
Da faciles auras, & curſum, Dive, ſecunda.

Tol-

Tollite ad aſtra bonum, mea carmina, tollite Daphnin.
Fallimur, an cœli Daphnis de parte ſerena
Intonuit lævum? Non fallimur: auribus hauſi
Ipſe ſonum: nec ſemper amans ſibi ſomnia fingit.
Senſit ab axe bonus, mea ſenſit carmina, Daphnis.
Cel. Grande ſonas, Lycida, nec ab alto murmura malim
Labentum fluviorum: aut cum per Cœrula cauri
Prælia ſæva gerunt: fremitus audire marinos.
Fortunate Senex; jam te non magnus Aretas,
Non ingens Oritus vincat; nec, quis fuit ille,
Quem ceciniſſe olim reſonantibus omnia Sylvis
Neſcio quam dicunt Auroram, Arcumque bibentem?
Nos tamen & contra noſtra hæc quæcunque canemus.
Et tibi ſi noſtræ cedunt in carmine muſæ,
Non animis etiam celebrando in Daphnide cedent.
Lyc. An quidquam nobis cantu ſit gratius iſto?
Et te Pierides vatem facere, neque ulla
Dulcior arcadiis reſonat jam fiſtula ſylvis.
Cel. Quas mihi nunc rupes, monteſque recluditis altos
Aonides? quæ grandiloquæ mihi munera vocis
Phœbe pater, quas tu inſuetas in carmina vires
Sufficies nunc Phœbe; quibus ſublimior agris
Tollar, & attritæ ſpernens rude murmur avenæ
Incipiam dignos meditari Daphnide cantus?
Deſpice bucolicos, mea fiſtula, deſpice verſus.
Nos mortale pecus miſeræ per paſcua terræ
Ducimus; aut pecori fragiles apponimus herbas
At gregis æterni felix cuſtodia Daphnis
Longe alias & noſcit oves, & noſcitur illis.
Deſpice bucolicos, mea fiſtula, deſpice verſus.
Has non Damœtas olli, non tradidit Ægon,
Non opulentus agris, & abundans lacte Menalcas.
Ipſe ſed in terras demiſſus ab axe Theander
Paſce meas, dixit, ſacris in montibus agnas;
Paſce, tuumque mihi, ſic, Daphni, probabis amorem.
Deſpice bucolicos, mea fiſtula, deſpice verſus:

Per-

Perge pecus felix procedere ; nunc bene gramen
Carpitur ; innocuos Daphnis tibi præſtitit agros ;
Præſtitit & tutas ſinceri fluminis undas.
Pocula jam ſerpens non inficit ulla veneno ,
Nec cythiſos inter livent aconita ſalubres
Deſpice bucolicos , mea fiſtula deſpice verſus .
Huc huc o! cunctæ properatæ ex orbe capellæ :
Nulla ſalus aliis , ne quis vos fallat , in agris .
Paſcua namque , bonus, quæ non tenet, extera, Daphnis
Omnia virus habent ; omni latet anguis in herba .
Deſpice bucolicos , mea fiſtula , deſpice verſus .
Nullaque vana ſuæ prætendat nomina culpæ ,
Cauſeturque ſacras ſe non dignoſcere caulas .
Qualiter aërio ſeſe dat clara videndam
Urbs impoſta jugo , cunctis ſpectabile terris
Daphnidis æternum ſic ſe alte oſtendit ovile.
Deſpice bucolicos , mea fiſtula , deſpice verſus.
Nec metus , exhauſtis unquam ne fœtibus omnis
Deficiat ſoboles , & inania prata relinquat :
Scilicet ut ſemper cœlum vaga ſidera paſcet ,
Semper ut æquoreas decurrent flumina in undas ;
Daphni , tuæ ſic ſemper oves , & rura manebunt ,
Damna nec interitus unquam ſenſura , nec ævi.
Deſpice bucolicos , mea fiſtula , deſpice verſus .
Ergo quid immites orci de faucibus urſi ,
Quidve , lupi , obſcuris huc tot properatis ab antris ?
Fruſtra eritis : ſancto , Daphnis quod ſervat , ovili
Ulla nec Eumenidum poterit vis ſæva nocere ,
Quotquot & infernæ fundant monſtra horrida portæ .
Deſpice bucolicos , mea fiſtula , deſpice verſus .
Quid miſer aſpicio ? mille heu per vulnera Daphnis ,
Ut tutetur oves , vitam cum ſanguine fundit .
Macte tamen pulchro , Paſtor macte , optime , letho ;
Non ovibus poteras majus dare pignus amoris ;
Nec vita ſolum æquiparas , ſed morte Magiſtrum .
Deſpice bucolicos , mea fiſtula , deſpice verſus.

At nunc poſt vitæ tantos, obituſque labores,
Sub pedibus ſoliſque vias, atque aurea Daphnis
Aſtra videt; foribuſque alti præfectus ovilis
Divûm ad ſepta vocat terris ex omnibus agnas;
Atque intro meliore hædos compellit hibiſco.
Deſpice bucolicos, mea fiſtula, deſpice verſus:
Quid volui demens? majoraque viribus auſus
Magna Deûm parvis tenuavi facta cicutis?
Non mihi ſi calamos det Tytirus ipſe ſonantes,
Queis cecinit dignas Romano Conſule ſilvas,
Daphni, tuas poſſim laudes æquare canendo.
Rurſus ad agreſtes redeas, mea fiſtula, verſus.
Lyc. Et tu non mecum audebas contendere cantu?
O nimium, Celadon, o de te injuſta locute:
Pieridas ſuperant noſtras tua carmina tantum,
Quantum ululas Cycni, quantum Philomela cicadas.
Cel. Has in te potius, Lycida, convertere laudes
Me decet; Auſonia quando te Phœbus in omni
Rectorem vatum, & cantus dedit eſſe parentem.
Sed jam age ſurgamus: verſo nam pronus Olympo
Me vocat ad caulas, te jacta ad retia veſper;
Et celeris volat hora, neque audit tempus habenas.

RO-

ROGERIUS JOSEPHUS BOSCHOVICHIUS RAGUSINUS

Soc. Jeſu

INTER ARCADES

NUMENIUS ANIGRÆUS,

ECLOGA.

Recitata in publico Arcadum conſeſſu Anno 1753. primo Ludorum Olympicorum die quo die Illuſtrium Arcadum effigies formandæ jaculorum ludo ſubſtitutæ fuerant.

Lycidas, Tytirus.

Lyc. TYtire, ſiſte gradũ, Lycidas vocat: o mihi ſilvã,
Tytire, jamdudũ fruſtra quæſite per omnem.
Tyt. Tune etiã huc, Lycida? nec te tã longa viarum
Tædia, nec genitrix tenuit dulciſſima, nec te
Parva ſoror, nec ſolæ, ingens tua cura, capellæ;
Quæ nunc heu nullo ſylvam cuſtode per altam
Opportuna lupis jam præda voracibus errant.
Lyc. Solus ego, Arcadiæ extremis e finibus omnis
Ad ſacrum dum turba nemus volat agmine denſo,
Namque imo ciet inclamans Myrhæus ab antro,
Tytire, ſolus, iners patria ſub rupe manerem?
Non ita prærupti genitum ſub vertice montis,
Heu puero, heu nimium raptus cito! durus Amyntas
Erudiit, dumoſa manu per culmina raptans

Figentem dubia incerto veſtigia greſſu ;
Dum pavidos telo damas , cervoſque fugaces ,
Aut aprum , aut ſummis agitaret montibus urſum .
Non æſtus , medio quamvis Sol ardeat Axe ,
Aſſuetum , non hoſce pedes via longa fatigat .
Impulit ipſa avidum genitrix quoque: perge:tuendam,
O Lycida , mihi linque domum : ſat adulta capellas,
Inquit , aget ſoror ad fontem , atque ad paſcua tuta .
I tu , namque potes , juvenum quo confluit omnis
Turba frequens , longoſque novans deſueta per annos
Feſta agitat , variiſque exercet corpora ludis .
I , Lycida , & memori ſub pectore ſingula conde
Obſervans , narrabis enim , quoque ordine , quique
Certarint juvenes , cui ſors arriſerit , & quæ
Quiſque domum tulerit meritæ data præmia palmæ .
Tyt. Scilicet hinc , Lycida , & jaculis oneratus acutis
Circumfers arcumque humero,pharetramq;ſonantem;
Jamque animo annoſæ defixa in vertice pinus
Signa petis , palma geſtis jam victor adepta .
Lyc. Haud equidē abnuerim;ſtimulos namq; ipſa volenti
Addidit , & palmæ genitrix incendit amore .
Sume , inquit , nam prima dies , ſi rite vetuſti
Servantur mores , jaculo , volucrique ſagittæ
Debita , ſume , puer , jaculum , volucremq; ſagittam,
Arcumque , pharetramque olim victoris Amyntæ .
O ! mihi ſi tantum tribuant bona numina , ſi te
Excipiam merita nectentem tempora lauro ,
Felix , ah nimium ! & figentem ditia tecto
Dona rudi ; quo , care puer , quo brachia nexu
Adſtringens collo hærerem ! quæ dulcia fronti
Oſcula mille darem ! propera , puer , otia rumpe
Pigra celer , ſacrumque vola pharetratûs ad antrum
Hæc genitrix : imas agitat mihi flamma medullas .
Et jubet alipedes curſu prævertere ventos .
En adſum : tu Myrhæo , tu Tytire , ſiſte :
En adſum , & jaculo certare paratus , & arcu .

Tyt.

Tyt. Ante tamen, quam te jaculo certare paratum
Myrhæo, Lycida, ſiſtas; ſpectare juvabit
Et ſedem, & tanti ſocios certaminis, atque
Jura tibi nondum bene cognita: concidet omnis
Fors & amor pugnæ, & palmæ ſpes irrita cedet.
Ad lævam converte gradus, qua conſita denſis
Ordinibus viridi ſe pandit plurima fronde,
Vernanteſque comas attollit in aera laurus.
Illa ſacri ſedes certaminis. *Lyc.* Haud moror. At quæ,
Tytire, quæ rerum facies nova? pendula ramis
Omnibus ora virum ſeu ſculpto extantia buxo,
Sive coloratis fulgent depicta tabellis.
Paſtorale pedum, & ſeptem compacta cicutis
Fiſtula cuique ſua, ac circum cava tempora laurus
Adſtat, at innumeris variantur cætera ſignis.
Quid juvenum manus illa ſtruit? ſulcatur acuti
Huic acie teli ſummâ cerata papyrus:
Hic ebore, hic viridi varias in cortice formas,
Alter in æquali pronus deſignat arena.
Ille autem & ſetas jaculo præfixit acuto,
Et chonchis fucos infudit levibus, atque
Commiſcet, verſatque agitans, telamque colorat.
En alius parium ferrata cuſpide marmor,
Flavum alius buxi ramum, teretiſque cupreſſi,
Truncum alius telo formans tunditque, ſecatque.
Quæ ſubiit nova cura animos? quæ forma colendi
Arcadici nemoris? veterum quo jura parentum,
Servati & longos mores abiere per annos?
Tyt. Dj dederunt meliora boni. Myrhæus avitos,
O Lycida, mores miteſcere juſſit, agreſti
Arcadiæ ingenuas & providus intulit artes.
Sic & qui ſteterat ſuccis oleaſter amaris
Improbus, & foliis alte pungentibus aſper,
Idem jam pinguis frondes emittit olivæ,
Ac dulces bacchas mitiſſima Palladis arbor
Educat, & ſpinis qui quondam horrebat acutis,

Inciſus ferro truncus manſueſcit amico,
Educitque novas frondes, & cerea pruna.
Non jaculo, non ille vetat certare ſagitta.
At teretis calami, meliorem & cuſpidis uſum
Extudit æratæ, quo non oculuſque, manuſque
Se tantum, aſt una & mentis vigor, atque feracis
Ingenii dives pariter ſe copia prodat.
Fas, ait, egregias animas, quæ carmine culto
Hoc decus, & famam ſolida virtute perennem
Arcadico peperere ſolo, quos extulit ipſe
Hinc pater ætherei ſtellatum ad culmen Olympi
Avectos curru Phæbus, cœloque locavit;
Fas merito, o pueri, memores celebremus honore:
Fas oculis redeant rapti licet, altaque ad imas
Atq; iterum, atque iterum mentes exempla recurrant.
Ite ergo, & notos jaculis effingite vultus.
Siquis amat duro extantes educere ſaxo;
Præfringat calamum, pro ſcalpro ferrea teli
Cuſpis erit; buxus ſi mollior, atque cupreſſus
Arridet magis; oblonga disjungere fibras,
Atque ſecare acie, & poterit perradere ſectas.
Cerata in tabula, viridive in cortice ſi quis
Maluerit tenui formas incidere ſulco;
Ille ſtylo tenuem, qua cuſpis acuta, ſagittam
Subſtituat, tractetque agilis. Demum ora colore
Qui vario, & cultum mentiri malit agreſtem,
Is, calamo qua pluma levis defigier imo
Aſſolet, & tremuli zephyros agitare ſuſurro,
Aut apri ſetas, aut crinem adſtringat equinum:
His poterit mixtos per telam ducere fucos.
Fiſtula, paſtorale pedum, & Parnaſſia laurus
Prodant Arcadicos inſignia nota colonos.
At variis, quæ cuique petit laus debita, ſignis
Et decora, & mores, & grandia facta notentur,
Hæc animo ſibi quiſque ſuo configat, & omnes
Exerat ingenii vires, mentiſque vigorem

Ex-

Extundens: tum deinde oculos, tum deinde labori
Adjungat dextram: Arcadicis hæc cura colonis
Digna magis, longe & jaculorum dignior uſus,
Hæc noſtros meliora decent certamina ludos,
Præmia digna dabo victoribus. Alpheſibæi
Illa manu primum quæ conſita laurus in auras
Intonſum aerias tollit caput, illa virentes,
Ipſe ego ſublimi quas carpam in vertice frondes,
Victuro æternos ſerto præbebit in annos.
Præterea aut pario ſculptam de marmore, ſive,
Ut libet, in tabula pictam, tenuive papyro
Ipſe ſuam lauro effigiem ſuſpendet eadem
Affigens tantæ ſignum memorabile palmæ.
Vix ea Myrhæus: paſtorum effunditur ingens
Per ſylvam, atque novum molitur turba laborem.
Ergo vides jam fervet opus. Conjungier illis
Tu quoque vis, Lycida, & jaculo, & certare ſagitta?
Lyc. Haud equidem tantum tribuo mihi; Tytire, dextra
Si jaculum vibrare gravi, ſi tendere nervos
Cornibus adductis, arcuque ſonante ſagittam
Mittere opus; certarem equidem; nec me Jovis ales,
Nec pernix fugiat cervus, quamquam ille volatu,
Hic celeri ventos vincat pede. Figat in imo
Si telum corde, & rapiat cum ſanguine vitam.
At quoniam certare nefas, age, Tytire, pande
Singula, noſti etenim, qui ſe in certamina tanta
Hi dederunt juvenes, quorum hæc aut pendula ramis
Ora, vel artifici nondum perfecta labore
Paſtorum in manibus tuimur, quid & addita cuique
Signa notant, mille arcanis variata figuris,
Tyt. Ah! Lycida, ah demens! quid enim petis? Ante jugales
Circumagat totum Phœbe variata per orbem
Ore tumens iterum atque iterum nova cornua ſumens
Quam liceat tantam verſando evolvere molem:
Pauca modo expediam, nam me quoque concitat idem
Palmæ amor, & mea ſunt, lauro pendentia ab illa

Quæ perfecta vides : ſed perficienda ſuperſunt
Quædam alia, & longum poſcunt abrupta laborem.
Ille (vides?) noſtris Myrhæo in cætibus ille
Aſſidet uſque comes, curaſque exercet eaſdem
Immortale Achamas nomen. Jam fixit in alto
Alnanum, ac Lerimum ramo, vultumque Aretalgi,
Quartum format adhuc fingens, & totus in illo eſt.
Lyc. Novi equidē: quis enim non noſceret? Extulit illos
Eductos campis ſilveſtribus, extulit ingens
Divini æternum virtus ad culmen honoris,
Atque ſuos curare greges, quacumque vagentur,
Religio dedit, & totum imperitare per Orbem.
Agnoſco triplici fulgentia tempora ſerto,
Alnani & montes ternos; & montibus aſtrum
Impoſitum: triplex Lerimi ſe faſcia prodit
Per medium ſecta, & gemino variata colore,
Quamque Aretalgus habet, ſpatiis diſtincta quadratis
Ultro ſe prodit Jovis ales: Squammeus anguis,
Et roſa, & Urſinam ſignat quæ faſcia gentem,
Nota ſat & noſtris in montibus: omnia nota
Tantorum decora heroum, & tot grandia facta.
Qui tamen hi, tela juvenis quos jungit in una,
Paſtores terni? Sacro diſtincta galero
Frons rubet, & vaſta perarata volumina mole
Hinc atque hinc cumulata jacent. Proh quanta ſenili
Ore ſedet pietas! qui pectore promicat ignis?
Tyr. O decus, o Latii numquam peritura ſenatus
Gloria! Vi raptos Alnanus paupere tecto
Extulit hos, Lycida, ſimul, atque effulgere ſacro
Obſtantes longum necquidquam juſſit in oſtro.
Alcidamum hunc dicunt, huic nomen maſcula virtus,
Huic divinus amor merito dedit: exhibet illos
Riviſcus, doteſque animi, doctoſque labores
Exprimit, ac telam o quanta levis arte colorat!
Benacum Euraſius, Thyrſimque, & format Alaurum.
Ollis Phœbus adeſt, promptamque in carmina venam
Suf-

Sufficit, & ſubitos dat mille effundere verſus.
Ipſa ſua, qua ſe Capitoli immobile ſaxum
Erigit, ipſa manu frontem præcingit Alauri
Roma potens: plauſus ſeptem de Collibus Echo
Congeminat, fluvioque fremit Tyberinus ab alto.
Navimbus, (viden?) Uranium, Polybumque Siſimber
Sculpit, hic Eurindi vultum exprimit, ille Amaranthi.
Sed quid ego longinqua ſequor, propiora relinquo?
Huc geminas; huc flecte acies, hanc aſpice telam,
Qua magnum tanta pingens Locreſius Acin
Arte refert, vultumque, oculoſque coloribus, atque
Officia, & vitæ ſeriem, doctoſque labores
Exprimit; aſt animum, atque omnes vincentia fucos
Virtutum merita, & concluſas pectore dotes
Verſibus adſcriptis pandit, quos ipſe ſororum
Aonidum chorus, ac præſens miratur Apollo.
Aſpicis? ingrati deſerta volumina juris
Hic fugit: incaſſum fugientem, ac torva tuentem
Irato revocat vultu Themis. Ætheris arcem
Hic ſubit, & Cœli motus, ac ſydera diſcit.
Hic eadem adſtringit numeris, ac nunciat omnes
Aſtrorum adſpectus varios, & tempora ſignat
Divinus Cœli vates: ſoror utraque feſſum
Hinc, atque hinc ſexu major levat: ætheris ignes
Hac parte, hac varios Solis, Lunæque labores
Oblongo per vitra tubo ſpeculatur, at illa
Ante pedes Rhenuſque tumens, & turbidus Idex,
Heu modo Felſineos tam dirus uterque per agros!
Imperio parent humiles: procul illius altas
Hinc Thameſis celebrat laudes, hinc Sequana plaudit.
Lyc. Quale opus o ſuperi! Viva omnia, Tytire, credas.
Qui tamen ille, tuæ qui ſummo in vertice lauri
Eminet, ac viola præfulget amictus opaca,
Jam ſenior, ſed cruda viro, viridiſque ſenectus?
Ille etiam multa ſervat vaga ſydera nocte.
En vitream aeriæ ramoſo in vertice pinus

Aſ-

Affixit lentem, ac filo moderatur: acutos
Ante oculos pendet lens altera: grandius aſtrum
Reſpondet contra, ſinuatum in cornua lumen
Stringitur, & maculis vultus ſordeſcit opacis.
Hinc & per montes altos, campoſque patentes
Linea ſe longo tendit, perque oppida ductu:
Altera per ſacram brevior traducitur ædem,
Inde ruinoſos inter pendentia muros
Signa jacent diſperſa ſolo, conſcriptaque ſaxa.
Tyt. Hic vir, hic eſt, Lycida, Non illo doctior alter
Sydera ſcrutari, aut menſas deſcribere terras,
Eruere aut altis veterum monumenta ruinis.
Arcades a Sylva nomen fecere vocantes.
Adductos terris falcatæ hic Cypridis ignes,
Et maculas, dubium & lentæ vertiginis orbem
Exquirit, Qua ſe ardenti via flectat ab Auſtro
In Boream hic campis, hic ſacra ſignat in æde:
Immiſſus Titana refert per tenue foramen
Ex alto radius, mutataque tempora monſtrat.
Aſt ibi collapſas, monumentum inſigne Neronis,
Immemor ipſe ſui (heu nimium!) conſiderat ædes;
Ah! ruit, & fractos præceps alliditur artus.
Lyc. Hic vero nivea effulgens in veſte Sacerdos
Quam varias radio ſignat nigrante figuras!
Illa refert ovum; hæc longum ſinuatur in arcum
Crure ſuper gemino, geminis abit altera ramis
Immenſū hinc, atque hinc fugiens,& crure quaterno
Averſas petit uſque plagas; at vertice in alto
Seſe aliæ longis ſinuant ambagibus, atque
In ſe iterū,atq;iterum redeunt,flectuntq;,plicantque,
Et reddunt ſparſos per prata nitentia flores;
Mille notę, ác tela numeri denſantur in ima.
Alter in hac... *Tyt.* Quo te Lycida,tuus abripit ardor?
Tempus abit. Tela mihi ſtat Dubenus in illa,
Auſoniæ Dubenus honos, & gloria prima
Arcadiæ. Haud illi Thameſis, non Sequana certet
Gran-

Grandibus ingeniis, non ingens Rhenus, & Iſter.
Hic teretem coni vario ſecat ordine formam
Obliquans flexu triplici; prima exhibet aſtris
Omnibus oblongos calles: iter altera præbet
Emiſſæ funda glandi, volucrique ſagittę:
Tertia proh quantis eſt uſibus apta! Nitentes
Hic certo calami ductu deſcripſit odori
Veris opes: numeris hic mille arcana, notiſque
Naturæ educta e penetralibus eruit imis.
Illa Hero, aſt illa inciſus mihi parte Epidaurus:
Urſacchi hinc vultus pendent, hinc ora Didalmi,
Illum ebore, hunc pario ſculptum de marmore finxi.
Nil tamen hæc perfecta moror: mea maxima cura
Paſtor Achemenides tabula pingendus in ampla
Sollicitum tenet, o Lycida, mentemque, animumque
Ad ſeſe rapit, & calamos, dextramque repoſcit.
Ille olim ſanctæ correptum ad templa Matheſis
Me traxit, ſiſtens Divæ, atque arcana latentis
Pandere naturæ, & magni ſcrutarier ignes
Ætheris, ac noctes docuit vigilare ſerenas.
Centum igitur ſolidis pingam ſuffulta columnis
Templa Deæ in medio: ſculptis longa atria ſignis
Fulgebunt late: rutilanti hinc aurea Cælum
Uraniæ & fixos, erranteſque ætheris ignes
Monſtrabit radio: hinc torvus tormenta Gradivus
Ærea, ferratoſque globos ſignabit acuta
Cuſpide, diffractaſque arces: lucentia fila.
Parte alia ſeptem variata coloribus almæ
In radium jungent Charites, vitroque reſolvent
Mox iterum triquetro, at ſpeculis ardentibus ignem
Aligeri educent pueri; atque incendia ſpargent.
Parte alia puram per campos Najades undam
Grandibus effundent rivis, ludentque natantes.
Aurea parietibus mille inſtrumenta, coruſcis
Pendebunt mille e trabibus; numerique, notæque
Mille ſolum niveo conſtratum marmore mille

Di-

Diſtinguent recti tractus, orbeſque recurvi.
Ipſa Dea e medio prodibit fulgida templo
Ad limen: juvenum ſupplex denſiſſima turba
Stabit Achemenidem circum, ac deducet ad ædem
Ille avidos; numero ſed me ſecernet ab omni
Apprehenſum dextra, Divæque in limine ſiſtet.
Parte alia Phœbuſque aderit, totuſque canenti
Aonidum chorus; ille oculos ad nubila tollet,
Atque aciem extentas volucrum defiget in alas.
Squammigerum interea placido pecus æquore ludet,
Quadrupedes curvo, bipedeſque in litore ſtabunt
Aſſimiles greſſum denſantibus: atque rubenti
Ad latus undantes effingam ſanguine venas,
Carminis argumentum ingens, quo Pindus, & omne
Arcadicum inſonuit nemus olim, & Pegaſis unda.
Nec deerit ſacros cœtus Aſtræa regenti
Adſiſtens, nec Divus Amor, Pietaſque; Fideſque.
Sed quid ego longũ fruſtra moror? Heu brevis hora
Effugit. I, Lycida: conceptum mente laborem
Da facili complere manu; atque inducere fucos.
Inductis demum fucis, nocteſque, dieſque
Tecum adero, alternoque horas ſermone trahemus.

Stanislai I. Poloniæ Regis Lotharingiæ, ac Barri Ducis inter Arcades Accl. Euthymii Aliphiræi, dum ejus effigies in publico Arcadum cœtu erigeretur,

ΑΠΟΘΕΟΣΙΣ.

Quis novus Arcadicum fulgor nemus, altaque Pindi
Involvit capita, & ſacrum penetravit in antrum?
Perſonat inſuetum, ac læto ſe murmure fundit
Pegaſeus fons, & flores, herbaſque virentes

Im-

Imbuit irrorans: ſacræ circum undique lauri
Emiſere novas frondes, baccaſque tumentes:
Aerias feſtis demulcent cantibus auras
Aligeræ volucrum turmæ: per prata citato
Diſcurrunt armenta gradu, & cum matribus agni
Lanigeris, & villoſis cum matribus hædi
Dant hilares ſaltus, inſuetaque gaudia miſcent.
Quid Satyri, Faunique rudes? Quid Oreades,atque
Frondenti Dryades præcinctæ tempora ſerto?
Aonidum quid docta cohors? Tremit incita denſas
Tellus ad choreas: confuſis arduus æther
Vocibus, & plauſu reſonat, fidibuſque canoris.
Arcadiæ extremis ad ſacrum e finibus antrum
Convenere duces pecudum, pecorumque magiſtri,
Aſſuetique ſolum ferro exercere bubulci.
Huic plectrum, huic ſeptem imparibus compacta cicutis
Fiſtula dat ſonitus feſtos: nemus omne reſultat
Carminibus, rupeſque cavæ, umbroſique receſſus,
Antraque pulſa ſonant, exceptaque carmina reddunt.
Phæbe pater, (nam tanta tuo ſine numine in arvis
Exorta Arcadicis quis gaudia credat, & omnem
Te ſine laurigeram cantu fremere undique ſilvam?)
Tu mihi tu denſam ex oculis age diſcute nubem,
Et cauſas tanti fremitus evolve latentes.
Sed quid ego Phæbum fruſtra moror? Aureus imo
Prorumpens late effundit ſe fulgor ab antro:
Fas illuc inferre gradus: audacia in ipſum
Immenſi jubaris fas lumina figere fontem.
Fallor? an Euthymii ſaxoſo e pariete vultus
Aurata in tabula pendet? Namque inde coruſcum
Emicat, & tanto jubar omnia lumine complet.
Proh ſuperi! Haud equidem fallor. Radiantia noſco
Numinis ora novi, & frontem, vultuſque nitentes.
Illum olim aerias cum primum ad luminis auras
Alma parens tenerum felici emiſit ab alvo,
Excepere manu nivea, & fovere calenti

Ad-

Adſtrictum Charites gremio, ac circumſtetit omnis
Virtutum chorus adſiſtens, perque ora, per aures,
Per blandas oculorum acies infudit, & ima
Impulit ætherias urgens in pectora flammas,
Divinoque ſinus jam tum ferveſcere ab igne
Edocuit teneros: dein puro nectare pavit,
Et dulci ambroſia carum nutrivit alumnum.
Quis grande ingenium; quis non ſuſpexit adulti
Ingenuos juvenis mores, divinaque magni
Senſa animi? Quid enim formam, vultuſque decoros
Commemorem, flavaſque comas, oculoſque micantes?
Ipſa parens caro gnati pendebat ab ore,
Pendebant lecti comites, morumque Magiſtri,
Famaque Sarmaticas longe, lateque per oras
Mille audita tubis juvenem, & tot corporis, & tot
Egregias animi dotes, attollere ad aſtra
Ingeminans, tanta dignos atque indole mores.
Obſtupuit, totumque oculis dum Patria luſtrat
Attonitis, ventura animo volvebat in imo
Tempora, & heu lentos incuſans ire per Axem
Solis equos, denſis pulſabat ſidera votis,
Spemque ſinu ingentem fatorum ignara fovebat.
Sarmaticis ferus interea ſe invexerat oris
Mars, & ſanguineum quatiens Bellona flagellum;
Urbeſque, & vaſti ſpumabant ſanguine campi.
Hinc fulmen belli, terris memorabile nomen
Carolus arctois, ſolio depellere Regem,
Rex inde immani membrorum robore, & armis
Auguſtus partam capiti ſervare coronam
Adnixi externo complerant milite campos.
Præterea miſeros amens diſcordia cives
Contulerat ſimul, & duros armarat agreſtes.
Quis dira excidia, & flammis ultricibus urbes
Abſumptas, plenis quis ſparſa cadavera campis
Edat, & horrentes ſpumanti ſanguine rivos?
Heu! quid agat miſera, & quo ſe jam perdita vertat
Sar-

Sarmatia? Æthereas ſedes, atque ardua magni
Tecta Jovis ſubiiſſe ferunt; precibuſque potentem
Pulſaſſe; & tales fudiſſe e pectore voces
  Ecquis erit tandem finis; quæ meta laborum,
Magne hominum Rector, Divumque æterna Poteſtas?
Nonne vides? Fractis diſiectæ mœnibus urbes;
Fumanreſque jacent: ſqualent viduata colonis
Arva: per undantes tabo commixta cruento
It ſanies fluvios; & trunca cadavera volvit.
Extremumne paras (nam quid mihi denique reſtat
Heu miſeræ?) excidium; totamque evertere gentem
Immeritam eſt animus; nec ſpes eſt ulla ſalutis?
Ah! tua te pietas moveat: miſerere ruentis
Sarmatiæ, & finem tantorum impone malorum.
Eſt mihi vernantis primævo in flore juventæ
Egregius forma, & magnis virtutibus Heros;
Idem opibus præſtans, & nobilitate vetuſta.
Gloria naſcenti patrio ſermone perennis
Moribus; ac tanta dignum dedit indole nomen.
Hunc unum Proceres; unum turbata tumulta
Reſpicit in tanto; ac merito plebs omnis amore
Proſequitur, patriamque unum fulcire labantem;
Et poſſe exremis ſperant ſuccurrere damnis.
Ergo iter Arctoum ad Regem; vicinaque caſtra
Orator domina miſſus jam carpit ab urbe
Accelerans. Da, magne pater; quod te tua poſcit
Sarmatia; & facilis ferventibus annue votis.
Hunc ſtatue; hunc genti Regem. Regalia forti
Sceptra manu, celſaque ferat diademata fronte
Promeritus. Sciſſa fugiet Diſcordia palla
Protinus, & Geticas Mavors ſe avertet ad oras.
Ille animos junget facilis, populumque, patreſque;
Blandus gentis amor; communi fœdere nectet.
Pacatis rabidos excedere finibus hoſtes
Ille vel eloquio; vel dextra coget; & armis.
  Dixerat: at ſolio contra ſic orſus ab alto

Jup-

Juppiter, æterno qui temperat omnia nutu.
Haud memoras ignota Jovi, aut indebita poſcis.
Me tua jamdudum, immeritis abſiſte querelis,
Damna movent: jamdudum omnis miratur Olympus
Tot merita egregii juvenis, mentemque, animumque,
Et ſanctos mores, & natum ad grandia pectus.
Non tamen ille tuæ tam dura incommoda genti
Avertet, non ille tuis regnabit in oris.
Fata vetant, Regemque olim Fortuna petenti
Quem dedit, hunc ſolio firmum ſervabit in alto.
Necquidquam immotis cives obſiſtere fatis
Tentabunt, iterumque, iterumque in regna vocantes;
Heroique tuo regalia ſceptra parantes.
Regnabit, ſed longe illum felicior olim
Regali gens excipiet diademate cinctum,
Jamque ſeni longos plaudens parebit in annos.
Ipſe autem & regnis longe majora caducis
Adjiciam, ac Divum æterno dignabor honore.
Quin ſortis dum tanta tuæ te cura remordet,
Pro caro dum tantus amor tibi fervet alumno,
Venturam rerum ſeriem, meaque omnia pandam
Conſilia evolvens, & fata arcana docebo.
Principio ne pronam, alto quæ ſiſtat Olympo,
Rere viam, & facilem. Triſtes exerceat inter
Fas acrem caſus mentem, duroſque labores
Perferat infragilis, qui Cælum, & ſidera tentat
Ardua, Divumque æternos affectat honores.
Idem autem & ſortis vultu quandoque ſereno
Gaudeat, adverſis ne concidat, atque ſecundis
Immodicum ne ſe mens efferat: unus, & idem
Forti animo, placido perſiſtat oportet & ore
Caſibus in variis, quem Jupiter æquus Olympo
Inſerere, & poſſit Dis immortalibus olim
Addere mortalem: ſic ſcilicet itur ad Aſtra.
Ipſe etiam quæ dura pericula, quoſque labores
Suſtinuit, mea progenies, queis caſibus actus

Pro-

Promeritum Alcides tandem conſcendit Olympum !
Ergo tuus pariter variis mihi caſibus Heros
Exercendus erit. Miſcebo adverſa ſecundis,
Jamque olli duros iratam offerre labores,
Jamque hilari ſortem vultu ridere jubebo,
Primum igitur caſtris cum jam ſeſe inferet ipſe
Eloquio, grandique animo, vultuque venuſto
Attonitus Regem Rex poſcet Carolus: illum
Collecti proceres, civeſque in regna reponent,
Et pacto armatas conjungent fœdere dextras.
Necquidquam denſo tutatus milite ſceptrum
Æmulus objiciet ſeſe, bellumque movebit.
Ipſe tuis victus, victus ſocialibus armis
Victori regnum, & titulos ſibi cedet ademptos.
Quis non ſublimi tum demum in culmine tutum
Cenſeat Heroem, ſtabilemque in fronte coronam ?
Aſt ego præcipitem tanto de vertice caſu
Dejiciam ſubito: ſocium novus obruet hoſtis,
Et fractum in Traces abiget: ſua ſceptra repoſcet
Æmulus arma ferens, pulſoque e finibus hoſte,
Ipſe tuos placida populos ditione tenebit
Compoſita jam pace, tuiſque incommoda terris
Avertet demum, ac felicia tempora reddet:
Ne dubita: ſic fata jubent, ſic Juppiter auctor.
Ille autem & regno pulſus: terriſque paternis
Quam ſortem profugus, quos duros mille labores
Perferet exul, inops, Geticis captivus in oris,
At ſorte adverſa, atque ipſo felicior Heros
Exilio ! Totus profugum admirabitur Orbis
Suſpiciens, grandemque animum, mentiſque vigorem:
Ipſe inopem plaudens totus ſpectabit Olympus,
Et ſtatuet certam merito ſuper æthera ſedem.
Scilicet in tantis immotus fluctibus, acre
Ingenium placidus ſervabit, & ore ſereno
Fortunæque iram, ac regnum contemnet ademptum.
Haud tamen hos longum patiar tolerare labores

O Im-

Immeritum, nec dura diu fortuna manebit.
Exurget fortis ſolamen grande paternæ
Ingens humanæ gentis decus, atque hymeneis
Succreſcet Gnata. O roſeo quæ gratia vultu,
Quæ pietas animo, & ſapientia mente ſedebit!
Non illi ſe pulchra Venus, non docta Minerva
Anteferat, ſummo non quidquid in æthere fulget.
At dominam (cernis?) qua Regius alluit urbem
Sequana, quos populos quantus regit, atque per omnes
Extendit famam terras, Cœlumque per altum,
Ille quidem & Superis par immortalibus Heros,
Haud impar proavo pronepos jam ſurget, & ingens,
Excipiet puer imperium, longoſque per annos
Grandibus auſpiciis gentem reget: arma per omnem
Deducet late Europam victricia, fines
Proferet imperii, regnumque augebit avitum.
Scilicet ingentem huic Puero conjungere Gnatam
Eſt animus: magnam celſo Regina per urbem
Se curru feret; ac regalia ſceptra gerentem
Regali ſubito Genitor diademate cinctam
Cernet, & oh tacito quæ gaudia corde fovebit!
Quid vero optatum cum ſurgere deinde nepotem
Adſpiciet; tantique ſuo de ſanguine regni
Hæredem & patria, & Mundo plaudente creatum?
Quid cari gnatos, aliumque, aliumque nepotis
Cum fauſto exortos de germine cernet, ut ingens
Qui regat imperium, & tantas moderetur habenas,
Sit de ſtirpe ſua, dum celſam Regia frontem
Eriget urbs Cœlo, dum Sequana volvet in æquor
Felices undas: vaſtos dum Gallia fines
Alpibus hinc gelidis, hinc nubifera Pyrene,
Hinc Rheno; hinc tumidis ponti tutabitnr undis.
Hæc animo auderes tibi fingere? Jupiter, omnes
Qui regit imperio terras, qui fata coercet,
Jupiter ipſe tuo hæc juveni tamen omnia ſpondet.
Nec ſatis: his etiam longe majora parantur.

Ve-

Verum animi rurſum, ac mentis tentare vigorem
Aggrediar, vetereſque iterum renovare labores.
Nempe ſui rurſum poſt tempora longa vocatum
In patriam cives amiſſo Rege repoſcent,
Regiaque intexent meritæ diademata fronti,
At fruſtra, & fatis obſtantibus. Ipſe revellam
Fœdera, & erepto gnatum ſuccedere patri,
Ingentem magnis gnatum virtutibus, atque
Grandi animo, atque alta fultum pietate, jubebo.
  Necquidquam ferroque Gener pugnabit, & auro,
Biſque datam Socero necquidquam mille per artes
Tentabit nutantem iterum fulcire coronam.
Irruet hinc denſo Germania milite, & inde
Immanis gelidi extremis e finibus orbis
Barbaries excita ruet. Qua ſtrage natabunt
Urbeſque, campique omnes? quæ fracta cruentus
Scuta virum, galeaſque, & fortia corpora volvens
Viſtula in obſtructum tandem vix ingeret æquor!
  Rurſum igitur patriis fugiens e finibus exul,
Ignotus; cultumque habitu mentitus agreſtem
Sequanicas ægre demum ſe reddet ad oras.
Frangeret hic alium poſt tot felicia caſus
Infelix; Heros animo perſtabit eodem
Adverſam excipiens invicto pectore ſortem.
  Qualis, quæ mediis rupes in fluctibus undas
Frangit, & inſanos ventorum immota furores
Mole ſua ridet tutiſſima; qualis & Euros,
Et celſo Boream ſe attollens vertice quercus
Provocat, atque altis fidens radicibus acres
Deſpectat pugnas, iramque illæſa ſonantem.
  Hunc igitur tanti tentaminis eſſe jubebo
Poſtremum finem demum, metamque laborum.
Fauſta tibi, Heroique tuo, quæcumque ſequentur,
Polliceor: junctis pangam nova fœdera dextris,
Pacatis hoſtes diſcedent finibus, atque
Ad ſua barbaricus miles glacialia regna

Se referet procul, & populos formidine ſolvet.
Felix Rege novo cives concordia junget;
Et Themis, & ſolio Pietas regnabit in alto.
Heroi nova ſceptra tuo, meritamque coronam
Longe alias, ſoliumque dabo regale per oras.
Eſt mihi Gallorum qua finibus Axona præceps,
Matronaque exoritur, qua major Moſa, minorque
Spumantes campis glomerat felicibus undas,
Dives opum regio, & Cælo gratiſſima Tellus.
Ingenio præſtans acri, & fortiſſima bello
Gens tenet, ac ſolidæ fervet pietatis amore.
His ego rectorem populis (æterna repoſcunt
Hunc ollis Regem fata, & mea certa voluntas)
Imponam meritis pro talibus, exigat omnes
Olim ibi ut auſpiciis ſenior felicibus annos
Imperitans, placidaque regat ditione volentes.
Felices annos! Non ſe illis conferat ætas
Aurea temporibus. Quæ rerum copia, quantus
Fulgor opum, quæ Relligio, Pietaſque, Fideſque
Diſtinguent gentem tanto ſub Rege beatam!
Aſt illum celſo jam demum in culmine tantas
Inter opes, inter tot plauſus, illecebraſque
Securum amota dubii formidine belli,
An tumido abripiens ventoſa ſuperbia faſtu
Efferet, aut mollis corrumpet inertia vitæ?
Qualis inops fuerat privata in ſorte, potitus
Imperio, atque opibus pollens perſtabit eodem
Uſque animo, & ſeſe facilis præbebit eundem;
Atque graves olim regni ſiqua otia curæ,
Et pietas, & relligio, quæ debita Divis,
Si dederint; doctas verſando evolvere chartas,
Exercere ſtylum, calamoſque adhibere diſertos,
Ac docto trahere in cœtu ſermonibus horas,
Deliciæ Regnantis erunt. Paſtoribus ipſis
(Nam rudis Arcadico paſtorum turba ſub antro,
Perque nemus ſacrum, perque ardua culmina Pindi

Ri-

Rite colunt Muſas, & ruſtica carmina dicunt
Inſontes) ſeſe paſtoribus inſeret, atque
Abiiciet ſceptrum, & poſito diademate, & ipſo
Nomine mutato, cultu gaudebit agreſti.
Idne feram? Jamdudum alto qui debitus Axi,
Confuſus turmis lateat ſilveſtribus Heros?
Haud equidem. Fragili necdum compage ſoluta
Membrorum, nec morte obita (frangam omnia jura
Scilicet, atque novæ reddam nova præmia laudi),
Nec terris raptum Djs immortalibus addam,
Djs, qui regna tenent cæleſtia, Cælicolaſque
Sublimem primos inter ſuper æthera ſedem
Educam, quo ſe terris attollere ab imis
Cum libet, & pura conſidere poſſit in aura,
Cumque libet terras iterum deſcendere ad imas
Unde queat, curæque ſuæ concredita regna,
Divino Arcadicos tutari & numine cœtus.
Sic ait, & Stygiæ jurat per ſtagna paludis,
Fulmineaque notat felicia cuſpide fata.
Hæc igitur promiſſa dies. Deus additur Aſtris
Euthymius, fronti Divinum aſpirat honorem
Jupiter, & flammis ardent cæleſtibus ora.
Læta novum merito numen veneratur honore
Arcadia, & feſtis implet clamoribus antra,
Jamque parem Phœbo, paribuſque per æthera, terraſque
Ardentem radiis celebrat: jam vota volenti
Exhibet; ac pictos attollens pariete vultus
Præſidium petit, & fœcundam in carmina venam.
Annuit, & muta divinam ab imagine lucem
Ille vomit: fulget radiis ardentibus antrum,
Et nemus, & ſacri fulgent capita ardua montis.

Joanni V. Glorioſiſſimo Luſitaniæ Regi inter Arcades Accl. Areti Mellèo cum a graviſſimo Morbo convaluiſſet.

EPIGRAMMA.

ARentes Lauros, Pindique per Avia vidi
  Pieridas paſſis crinibus ire Deas,
Fugerat abjectis Phœbus plectroque lyraque:
  Et ſteterat ſacri territa Fontis aqua.
Sic Mæcenatis vicino in funere quondam
  Caſtalias dicunt obriguiſſe Deas.
Cum ſubito, laurique novo conſurgere fœtu,
  Et ſtrepere arguto largior unda ſono.
Aonides feſtis demulcent cantibus auras,
  Antra procul reboant, Arcadicumque Nemus.
Scilicet ipſe Tagi ripis regreſſus ab aureis
  Ingeminat reſona victor Apollo tuba;
Vivit Io, Lacheſi pulſa, mihi vivit Aretes!
  Stat Tibi, Pinde, tuum ſtat decus, & columen.

In Planetarum diſpoſitione Terra inter Martem, & Venerem.

EPIGRAMMA.

ASpicis, ut rapidos Amor excitet, Iraque, motus,
  Partiti humani pectoris imperium?
Hic gemit ah duræ fraudatus amore puellæ;
  Ille hoſtem inſequitur torvus, & arma quatit.
Miraris? Cerne auricomum quonam ordine ſolem
  Diſpoſta in gyrum ſydera circumeant.
Mercurius propior Phœbo: Venus axe recedit
  Altior: hinc Veneri proxima Terra ſubit.

Tel-

Tellurem vaſto Mars orbe amplectitur: illum
  Juppiter: hunc pigri plumbea ſtella patris.
Quos Venerem, Martemque inter natura locavit;
  His mirum, ſi Mars imperet atque Venus?

De Solis maculis.

EPIGRAMMA.

FAllor! an æthereas, qui curru ardente per oras
  Æternum puro fundit ab axe jubar;
Unde ſatus Maja, & cum Marte, pigroque parente
  Juppiter; unde nitet Cynthia, & unde Venus;
Unde nitent prata, & radii ſeptemplicis ictu,
  Verſicolorato flore ſuperbit humus.
Fallor! an obſcura nitidam ferrugine frontem
  Inficit, & maculis turpibus ora notat?
Haud fallor: denſos ardenti è pectore fumos
  Evomit, & vultus obruit ipſe ſuos.
Phœbus habet nubes: miſeræ miſer incola terræ;
  Tu ſperas lætos & ſine nube dies!

In Græcam Fabulam Saturni a Jove regno pulſi.

EPIGRAMMA.

TEmporis hiſtoriam priſci dum, Græcia, narras;
  Quæ tibi habenda fides, ſat Polus ipſe docet.
En tubus: hic gemino diſtantia ſidera vitro
  Admovet, & filis hic loca certa notat.
Nonne vides? Summo propior Saturnus Olympo
  Eminet, inque humili deſpicit orbe Jovem.
Ille gravis, lentoque perambulat æthera greſſu:
  Hic volat & celeri ſe rotat uſque pede.

Si quatuor nato comites permiſit, & aureos
  Quæ circum innectat faſcia multa ſinus;
Quinque ſibi at famulos, regnique inſignia ſervans,
  O quale auguſtis fert diadema comis!
Et pulſo natum jactas regnare parente?
  I nunc, i dictis, Grecia, poſce fidem.

HIERONYMUS PILO PANORMITANUS
Capacii Comes, Marinæi Marchio &c.

INTER ARCADES

OCRITÆUS TOLIDIUS.

TESTHILIS, ET CORYDON

EPIGRAMMA.

In Laudem Emi Card. Franciſci Landi Inter Arcades Accl. Antiſtii.

EXtremæ decus Æmiliæ par Regibus Heros
  Cujus virtute eſt purpura viſa minor;
Teſthilis, & Corydon Sylvæ, & Paſtoribus ambo
  Aſſueti huc coram te properare timent;
Nam licet Eridiani ad ripas Antiſtius olim
  Inter Paſtores tu quoque dulce canens
Cum Nymphis Dryadas traheres, Faunoſque bicornes,
  Sylvicolamque Palem, ſemicaprumque Deum;
Nec tibi rura greges inviſaque tecta caſarum;
  Terruit hæc illos non bene nota Chlamys.
Conſtiterunt hinc ante fores, ſed pulcra puella
  Ferre auſa eſt tenerum limen adusque pedem,

Com-

Compellatque virum, pavidoque audacior inſtans
Ex humeris tacito hos ſubdidit ore ſonos:
Inſpice, mi Corydon quanta o ſedet illius ore
Majeſtas, quantum nummis inſtar habet!
Di Tyberi ſervate Virum, Eridanoque precanti,
Huic natum, huic Dominum poſt nova fata ſuum.

EPIGRAMMA.

TYtirus, & Corydon virides ætatibus ambo
Formoſam ardebant Phyllida amore pari,
Et nuper gregibus vicina in valle relictis
Hujus ſub Fagi tegmine conſtiterant:
Phyllis adeſt violas circum quæ forte legebat,
Et properans illis Florea ſerta dedit.
Tytirus accipio dixit pro pignore amoris.
Reſpiciens Corydon Phyllida conticuit.
Illa ſuum pariter Corydonem immota tuetur,
Et mox diſcedens riſit, & erubuit.

EPIGRAMMA.

DIc Lesbine puer dulciſſime, dic ubi Mater
Eſt tua, ſi dicas aurea mala dabo.
Ille mihi; fruſtra genitricem quæris Amynta;
Non illam totum per nemus invenies.
Aſt ubi ſit dicam; ſed da mihi mala priuſquam
Hoc fatear; puero tunc ego mala dedi.
Arripuit; ſed dura nimis ſors! aufugit ille,
Et fugiens temuit dona, preces, lacrumas:
Sæve puer! ſcopulis genitrix ſed durior ipſis;
Namque artes a te diſcit & ille tuas.

Ar-

Arcadiæ Paſtoribus ſuaviſſimis Sodalibus Ocrithæus Tolidius in patriam proficiſcens extremum quaſi vale cum lacrymis dicit.

Salvete Arcadici multumque valete ſodales.
  Ad patrios revocant me mea fata greges;
Dent ſeptemgemini vobis nova gaudia colles;
  Rideat & Chlorys, rideat alma Pales,
Me ſaltem poſita Boreas ſæviſſimus ira
  In littus referat, Motia parva, tuum.
Illic ſepoſitam cera componere avenam
  Sit mihi fas, veſtros & memorare ſonos,
Et veſtros gracili repetentem murmure verſus
  Ocritheum norit vix ſua terra ſuum,
Deſcendentque jugo, & vaſtis Cyclopes ab antris.
  Deferet ipſe ſuas & Poliphemus oves,
Meque plaga oppoſita ſumma cervice ſalutent
  Ingenti plaudet dum Pater ipſe manu.
At mihi quod vobis ſolamen dulce relictis
  Dum memorem, fontem caſtaliumque nemus
Dum ſubeat cari dulciſſima imago Myræi
  Maxima pars animæ, præſidiumque meæ;
Unum erit heu miſero reditus ſpes tarda levamen;
  Ni tamen hoc etiam fata Deuſque negent;
Sed mihi doctus Apex ſi Caſtalis unda negetur
  Nec liceat veſtras incoluiſſe domos;
Alpheus pro me vobis Pater ipſe ſalutem,
  Amplexuſque meos, oſcula, verba, feret;
Ingenium penſabit amor; migrare licebit
  Ad fontes ſaltem, pulchra Arethuſa, tuos;
Scimus quod patrio miſceri flumine gaudes
  Dum ſæpe occultas itque reditque vias;
Ne pigeat madidis dum te tenet ille lacertis
  Noſtra quoque ardenti vota referre Viro,

Ille memor veſtri læto placidiſſimus ore
Audiet & voces excipietque preces,
Et tandem rediens accitis undique, dicet,
Ferre dedit vobis hoc Ocrithæus Ave.

J: VINCENTIUS GRAVINA
Neapolitanus e Conſentia

INTER ARCADES

OPYCUS ERYMANTÆUS.

ECLOGA.

Aepolus, & Tirrenus.

Aep. QUo celeres Tirrene pedes intendis? & unde
Tam rapidus? pulſi fugiunt per prata Lapilli
Et tibi ſub pedibus compreſſa ſuſurrat arena.
Tirr. Quid mea miraris trepidantia membra pavore?
An neſcis quanto tellus tremefacta tumultu
Impoſitas humeris ſibi dudum excuſſerit Urbes?
Hiſce oculis vidi, quamvis ſine parte pericli
Labentes nuper celſo de culmine Turres,
Tectorum adſpexi projecta cadavera, & Urbes
Quæ fuerant ſenſi momento temporis urnas;
Sic mirum artis opus, moles, ædeſque ſuperbas
Exitio dedit una dies, ſic ſæva repente
Involvit ſtrages veterum decora alta virorum.
Aep. Quid Tirrene gemis convulſas ſedibus Urbes,
Quidve doles juſto correptos funere faſtus?
Ah pereant faſtus, pereant ab ſtirpe malorum
Germina, & extincta fraudes tumulentur in Urbe.
Tene aliena premant noſtros cum terra labores
Hauriat, & labem innocuis meditetur agellis?

En

En ruit evulſa ab ſumma radice Cupreſſus
En gemit omne nemus labentibus undique ramis
Humoreſque putres e vitibus ebibit uva.
Heu marcent violæ, marcet narciſſus in hortis
Atque comâ lambunt morientia lilia campos.
Pallida langueſcit ſenſim roſa, tuque anemone
Spargis humi ſiccos demiſſa fronte capilles,
Dura quidem toleranda tamen premit omnia fatis
Juppiter; & rebus confundit amara ſecundis.
Cæcis Fatorum arbitriis & lege maligna
Virtutem exemere Dii: ſors cætera voluit.
Hæc tibi nota ſatis quem priſca oracula Vatum
Edocuere animo indomitis excellere fatis.
Tirr. O utinam promiſſa diu ſolatia nobis
Præſtiterit virtus, nec ſpes oſtendat inanes.
Illa cupidineis arcendis ictibus impar
Ab ſe fatorum poterit deflectere jura?
Teſtis ego meditata diu cui tempore nullo
Extinxit ratio veſanos pectoris æſtus.
Dumque arma expedio, dum mens luctatur, & obſtat
Sæpe retractatos acuerunt prælia morſus.
Aep. Si tibi luctanti nequeat ſuccurrere virtus,
Imperat illa fugam. *Tirr.* fugientibus uſque Cupido
Inſtabit; celeres humeris puer explicat alas.
Quid vertiſſe ſolum prodeſt? Incendia ſecum
Fert animus: procul ex animo quiſnam exulet unquã?
Tantiſper noſtros potis eſt lenire dolores
Aepole muſa, tuo, quæ carmen fundit ab ore:
Pan tibi naturæ mores patefecit, & Orbis
Occultam faciem clavi reſeravit amica,
Evolvitque Themis tibi jura hominumque Deumque.
Ingenium moreſque tuos regit inclita Pallas,
Et Phœbus triplici velat tua tempora lauru.
Ergo age ſub celſa ponamus copora Pinu,
Jucundoque mihi compeſcas carmine luctus.
Si qua mei ratio eſt, fidi ſi cura ſodalis.

Aep.

Aep. Huc venias potius tu, nam illic rarior umbra eſt
Pinus & e ſummo jaculatur vertice conos.
Hic denſæ quercus, nigris hic crinibus Ilex,
Hic platanus ramis frigus diffundit opacum.
Hic fons dulciſonus tenui de gutture puros
Diſpergens latices ſitientes educat herbas.
Tirr. Accedam: graciles tibi vellera ſterne ſub artus,
Atque meam curis abducas carmine mentem.
Aep. Curis immunes propriis aliena canemus
Vulnera, profuerit ſocios ſibi noſſe doloris.
Rupe ſub excelſa defeſſus forte jacebam,
Et mecum Corylus, calamoſque inflare parabam,
Aſcræo calamos nuper de fonte revulſos.
Quam bene compacta eſt Corylus tibi fiſtula dixit,
Laudavitque ſonum, noſtram laudavit & artem.
Tunc ego: ſi placet a nobis hoc accipe munus,
Sume tibi cannas, quas cæra junximus alba
Junximus arte nova nuper; tumet en mihi pollex
Cuſpide quem bifidâ confracta momordit arundo.
Accipit, hiſque ſuos verbis modulatur amores.
Grata ſub æſtivum dum murmurat aura calorem.
Grataque ſunt pecori florentis tempora veris,
Et Galathea meo quondam gratiſſima cordi
Dum puros Galathea mihi ſervabat amores,
Dumque novos animo nullos admiſerat ignes,
At poſtquam fidos aliò traduxit amores
Rivalem nobis inducens Alphæſibeum;
Inviſa eſt Galathea mihi, ſed tempore nullo
Diſcedunt rabido concepti corde dolores:
Atque eadem triſti recubat ſub pectore cura.
At mihi quid blandis texebas retia verbis
Perfida, ſi jam corde gerebas Alphæſibeum?
Quid me dum prono torqueres pollice linum
Dulcibus alloquiis miſerum Galathea tenebas?
Tunc heu carus erat Corylus, nunc Alphæſibeus,
Nunc mihi dira tumes, vultum nunc ſæva retorques

Si quâ preſſa meis cernis veſtigia plantis.
Siccine Nimpha tuo Corylus de pectore fluxit?
Sic mihi promiſſos alio convertis amores?
Non ſic aura levis, non ſic mutabilis unda
Non quæ concuſſa labuntur ab arbore frondes,
Quam quæ fæmineo naſcunrur pectore flammæ.
Dum canit oppoſitum tranſit Galathea per agrum
Et ſecum decus Aonii Clitumnia collis
Ut Nympham adſpexit ſuſpendit lumina Paſtor,
Inque ſinum calami digitis cecidere remiſſis.
Illa quidem ſenſit, ſed vultum ſparſa rubore
Flexit, & obliquos furtim torquebat ocellos,
At Corylus paſſis tergebat lumina palmis.
Cumque iterum gravibus diſſolveret ora querelis;
Senſimus æthereo reſonas modulamine ſylvas,
Et modulos tremulis reddentem vocibus echo.
Flectebat roſeo vocem Lucindia labro,
Ac ſimul arguta pulſabat pollice chordas.
Conſtiterant rivi, Zephyrus demiſerat alas,
Mitis erat Taurus, ſerpens abjecerat iras,
Ipſeque ſopiri Corylus ſua vulnera ſenſit
Mellea felices dum vox percurreret auras.
O nimium dilecta Diis tibi Cynthia præſens
Et cantum dedit & vultus oculoſque loquaces,
Corda quibus penetras & fortia pectora verſas.
Invidet iſta tibi Corylus cæleſtia dona,
Namque ſuam retines dulci modulamine Nympham
Eque tuo plaudens pendet Galathea labello.
Luſimus hæc Tirrene ſatis, ſua munera quiſque
Jam repetat, ſparſoſque greges cogamus uterque.

Præfixum faſciculo carminum Phylacidæ Arcadiæ Cuſtodis Generalis.

PEtrarca primus temperavit Italam
Lyram, ſed uſus artibus ſcholaſticis,

Quas

Quas illius ferebat ætas ſquallida;
Poſt cultiores prodiere literæ
Sacri Leonis a favore provido,
Qui verſiones provocans Grajum novas,
Exuſcitavit & Latinas Gratias.
Has anteire cum ſtuderet Ciampolus
Muſarum Adulter, & Marinus impudens,
Et quot Petrarcham nominarunt aridum,
Inane murmur, ſpumeoſque turbines
Stulti dedere, & dum cavent communia
Feruntur imprudenter ad contraria.
Quâ peſte multi ſaniores territi
Stylo Petrarcæ muniuntur ſobrio;
At cum Poetæ verba, miſſo ſpiritu,
Texant, neque ultra quam Petrarca prodeant,
Per Cantilenas, perque eorum nænias
Vox vana ſenſu deſtituta circuit.
Sed qui Poeta paginis iſtis canit.
Parique quiſquis educatur ſydere
Ab aridis declinat, atque turgidis,
Dircæa tutus dum pererrat flumina.

FRANCISCUS MARIA ZANOTTI
Bononienſis

INTER ARCADES

ORITUS PILIACUS.

Ad B. Mariam Virginem de ejus partu.

ELEGIA.

QUam pulcher de te, bona Virgo, prodiit infans!
Diſpeream, ſi quid pulchrius eſſe poteſt.

Quam

Quam ſimilem, ſi te videas, tibi dixeris eſſe!
Purpureas, ut tu, ſic habet ille genas,
Os movet, & blandos, ut tu, convertit ocellos.
Ah quæ tam pulchrum, diva parens, puerum
Edideris, ſcabro non te peperiſſe ſub antro
Tædeat, immundi neu pudeat ſtabuli.
Auguror. Hoc toto ſtabulum celebrabitur orbe;
Jamque in memnoniis nomen habet domibus;
Jam veniunt (audiſtin' equos curruſque ſonantes?)
Magnanimi veniunt, qui tibi dona ferant,
Primores Arabum, & rupem hanc ſtabulumq; requirunt.
Scilicet & ſeris munera temporibus
Innumeri huc mittent populi, & quos maximus iſter
Alluit, & qui atheſin eridanumque bibunt.
Eventura cano. En ſacris dejecit ab aris,
Et veteres ridet maxima Roma Deos,
Et verum agnoſcens divumque hominumque parentem,
Natalem ſancti concelebrat pueri.
Aſpice, ut imponit ſimulata altaribus antra,
Addit & e paleis effigiem ſtabuli;
Bethlemiaſque colit rupes ſub imagine parva.
Stat circum affuſi maxima vis populi,
Arrectaſque piis præbet ſermonibus aures,
Quos recitat pavidus mente puer memori.
Quam multi interea præſtanti carmine vates
Naſcentem certant tollere ad aſtra Deum!
Fallor, an Arcadio veniens de litore turba
Neſcio quæ ripis ſedit in auſoniis.
Quæ ſibi Saturnum quemdam, campoſque beatos
Fingit, & Evandri ſe putat eſſe genus,
Ac ſibi dum pingues meditatur verſibus agros,
Thybridis in viridi litore paſcit oves?
Thybri pater, parvam, quæſo, ne deſpice gentem;
Rege ſub Evandro tu quoque parvus eras.
Tuque adeo magni referas qui limina olympi,
Cæleſtumque ſedes janitor ante fores,

Re-

Regia quem ditis metuit, cui ſidera parent,
LAMBERTINE: tuo numine dexter ades.
Laus eſt felſineo tibi maxima ab Idice. Surget
Et tibi ſervata nomen ab Arcadia.
Hæc quoque tempus erit, præſens modo faveris illi,
Annua cum ſacro vota feret puero,
Et matris magnæ in laudes dum mollia flectet
Carmina, & alternis ludet arundinibus,
Septem Romani reſonabunt undique colles.
Felices colles! quis mihi vel Sinaim,
Quis mihi frondoſi memoret jam culmina Orebi?
Vos ego vel Libani præfero verticibus.
Salvete, o colles ſancti, ſalvete, receſſus
Cœlitibus ſacri, fluminaque, & nemora,
Grata Deo ſedes. At quæ, quæ nomina veſtris
Paſtor, neſcio qui, ſculpſit in arboribus?
Hic mihi quid Nemeſis legitur, quid candida Phyllis,
Lesbia quid flavis conſpicienda comis?
Cur fugiens illic narratur Delia, Mœris
Quam ſequitur, ſervat dum Melibœus oves?
Ah! iſtos verſus, iſthæc jam nomina ſacris,
Arcades, ah! ſacris demite corticibus.
Scribite in his Puerum, quo non formoſior alter,
Non fuit in terris alter amabilior,
Seu placidus blandos ſopor illi operiret ocellos,
Seu Matris caſto luderet in gremio.

De adventu D. Petri in Italiam.

ELEGIA.

JAm navis dilecta Deo de litore ſolvit.
Jam venit: en placidis vela dedit zephyris;
Navis, quæ magnum transfert per cœrula Petrum,
Et ſeſe ripis applicat auſoniis.

Eja age, quid ceſſas? Tarpejam deſere ſedem;
  Non iſthac tuto, Juppiter, arce manes.
Non bene Romulidum ſacras Venus occupat aras.
  Æternos ſervat non bene Veſta focos.
Ite procul, veteres, vaniſſima turba, Penates,
  Quos fruſtra Æneas intulit in Latium.
Hæc templa, has aras mox jam Deus alter habebit;
  Pace tua, Mavors, pace, Quirine, tua.
Non hoc Ænean monuit Cumea Sybilla,
  Cum profugos ferret per freta longa Lares.
Hæc inquit Michael; volitans ut forte per auras
  Auguſtam vidit pandere vela ratem,
Confeſtimque viam flectens, ad maxima venit
  Mœnia, quæ nollet tranſiluiſſe Remus,
Et vaticanus qua ſurgit ad æthera collis,
  Conſtitit, & tales reddidit ore ſonos.
Quid ceſſas, Romane? Novam hic mons poſtulat ædem;
  Poſtulat; atque alium vult ſibi adeſſe Deum.
Surge ædes, ſurge, o ſanctiſſima, quam Deus ipſe
  E cœlo veniens incoluiſſe volet.
Hanc moneo (dictis, o Roma, adverte) dicabis
  Petro, Roma, tibi pro Jove Petrus erit.
Sic ait, & ſacrum montem, cui nomen ab auro eſt,
  Adſpiciens (Jano mons erat ille ſacer)
Cum cantus varios, facileſque audiſſet avenas,
  Hic nova quæ, dixit, naſcitur Arcadia?
Naſcitur, & docto rebus moderante Mirzo,
  Saturni mavult non ſibi regna Patris;
Subridenſque, Petrum cantabitis, Arcades, inquit,
  Vos etiam. Veſtræ jam valeant Dryades.

Aa

Ad Joannem Baptiſtam Morgagnum
inter Arcades Gramignum.

ELEGIA.

Quod ſcribis, Morgagne, ſatis placuiſſe, quod ad te
 Miſi, incomptum illud carmen, & horridulum,
Quod, mihi quum mordax laceraret pectora cura,
 Et miſerum urgerent ſors, Amor, & Domina,
Neſcio qua tacitum & longum ſub rupe querenti
 Mi mea dictarat candida Calliope,
Id gratum eſt mihi; ſed quod rurſum adducere tentas,
 Meque ad Muſarum delicias revocas;
Poſſem utinam! at quis me credat [niſi ferreus ipſe eſt]
 In tantis quidquam ſcribere poſſe malis?
Tempore nam ex illo, mea quo mihi reddita amica eſt,
 Quam unam præ vita caram habeo atque oculis,
Non poſſum, quales tulerim, quantoſque labores;
 Quot gemitus, quot ſuſpiria, quot lacrymas,
Dicere, quotque preces, ut duram flectere mentem
 Poſſem, mi miſero fundere opus fuerit.
Qum mihi viſceribus furor hic hæreret in imis
 Interea, & ſaxis ſtaret ea aſperior.
Ah! Quid tantum a me peccatum eſt, Lydia? quod tam
 Tam dirum potui admittere flagitium,
Tamque grave, ut me tot pœnis tam male plectas?
 An non te toto ſemper amavi animo?
An non laudavi ſemper, formamque probavi?
 Quæ tamen ... heu miſerum quid benefacta juvant?
Illa quibus dictis jam cæperat inflammari,
 Jam flecti precibus cæperat illa meis.
Jam ſe culpabat, jam ſe duramque vocabat;
 Ipſa fatebatur lenta fuiſſe nimis.
Litterulaſque mihi mittebat identidem, & oh quas!
 Quas, credo, ipſe ſuis ſcripſit Amor digitis;

Queis ego ſollicitum, ut poteram, ſolabar amorem,
  Quum ſubito ecce aliud mi accidit horribile.
Nam dum candidulam mi dextram porrigit illa,
  Spondet & optati gaudia conjugii,
Nec tantum quidquam potis eſt extinguere amorem,
  Cogitur ad patrios illa redire lares.
Ad patrios, Morgagne, Lares heu cogitur illa.
  Quo perculſa novo fulmine mens animi
Excidit, atque omnes ſecum ſenſus rapit, omnes,
  Omnes delicias, omne meum ſtudium.
Quare nec dulces impellere pollice chordas
  Nunc mihi, nec teneris ludere carminibus:
Nec ſolita cura eſt præcingere tempora lauro
  Triſtia, nec colles ſcandere Pierios:
Sed flere, & longas ſine ſomno ducere noctes;
  Qualis dimiſſo Penelopea viro
Dicitur, ille inter quum prælia verſaretur
  Agmen agens muros militum ad Iliacos:
Quæ tamen haud ſolis ſibi tum metuebat ab armis,
  Verum etiam a ventis, & mare navifrago,
Quum ſæpe egrediens portis bipatentibus Hector
  Seſe per medios irrueret Danaos,
Cogeret & ventis rurſus dare vela ſecundis:
  Illa autem ſcibat, quanta pericla maris.
Quæ tamen heu voluit, voluit Ghedinus adire
  Heu miſer, & rapido credere ſe pelago.
Et nunc heu (qui ſcit?) nunc illum forſitan Auſter;
  Forſitan unda mali verberat Oceani.
Tu ne igitur patriam potuiſti linquere terram?
  Tu ne igitur triſtem deſeruiſſe patrem?
Tu ne igitur dulces fratres, caramque ſororem?
  Et procul a cara vivere tua domina?
Parcite vos fluctus, vos quæſo, parcite venti,
  Et facite ut faciles naviget ille vias.
Et rediens omnes circum amplexetur amicos;
  Inque ſuæ gremium ſe referat dominæ;

Quæ

Quæ miſera, heu, fruſtra averſos amplexa Penates
  Qualia pro caro vota facit juvene!
Infelix! ſed quid luctus nunc perſequar illos?
  Lydia me torquet, Lydia cura mea eſt.
Hæc mihi lætitias omnes, hæc gaudia ademit
  Hæc cor, hæc mentem ſurpuit, hæc animum,
Hæc me perpetuo vultum palleſcere cogit,
  Et madidas lacrymis ſemper habere genas.
Quare, ſi quos vis, renuo tibi mittere verſus,
  Hoc ego non renuo, verum Amor, & Domina;
Qui te utinam, Morgagne, magis feliciter urant:
  At fore mi ſemper difficiles video.

Ad Joannem Antonium Vulpium inter Arcades Ulipium.

ELEGIA.

VUlpi, cui gelidum Pindi nemus, & loca Phœbo
  Sacra novem doctæ dant habitare Deæ;
Egregium mihi quem ſtudium, & præclara voluntas
  Devinxit ſanctæ fœdere amicitiæ,
Cui nemo, ut ſpero, quiſquam me carior uno eſt;
  Tantus te noſtræ cæpit amor fidei;
Quamquam ego ſolvendis paullo ſum tardior illis,
  Quæ tuus altus Amor poſtulat, officiis,
Non hoc, quæſo, animi ingrati, mentiſque malignæ
  Sed magis eſſe puta pauperis ingenii.
Nam quod tam longo tibi ſcribimus intervallo,
  Id non, crede, mihi fecimus immemores.
Hæret adhuc animo, & fixum penitus manet illud
  Immortale tui carminis officium,
Cui ego, qua poteram, quum reſpondere pararem,
  Non fuit heu facilis cur mihi Calliope?
Scis, Dea, me totis tum niſum viribus eſſe.
  Sed nunc, quum ſtudii Vulpius omne genus

Præclare illuſtrans, fama compleverit orbem;
Nunc vero mea non gaudia mente premam:
Sed dicam ut potero. Vos dextram mi date, Muſæ,
Cultorem veſtrum dum ſuper aſtra voco.
Nam quum corrumpant anni, & pulchra omnia libent,
Indomitam poſſint nec ſaturare famem;
Contra ille obniti, & vim ævi convellere tantam
Non timuit tota ſolus in Auſonia.
Eque vetuſtatis tenebris, & nocte profunda,
Omnes quæ fœtus devorat ingenii,
Educit veterum divina poëmata vatum,
Perfunditque novis omnia luminibus.
Tum vitam, & mores enarrans, & genus, omnes
Diſcutit antiqui temporis hiſtorias.
Tu ne igitur, Vulpi, tun' blandi dulcia Cottæ,
Tun' Fracaſtorj carmina reſtituis?
Et quos divino Alamannus percitus æſtro
Verſiculos rudibus ſcripſerat agricolis?
Quæque adeo admiror, Muſis & Apolline digna,
Per te nunc vivunt carmina Naugerii?
Carmina quæ quondam liquidas jactabat ad auras
Formoſæ referens ora, oculoſque ſuæ?
Dum caneret, Fauni circum undique protinus omnes,
Et Pan illi aderant, & Satyri, & Dryades:
Quin etiam Adriaco ſunt viſæ e gurgite Nymphæ
Vicinis paſſim ſidere litoribus,
Stillanteſque ligare comas poſt candida terga:
Ille intus totum exuſtus amore animum
Flagrantes oculos pulchræ cantabat Hyellæ,
Quaſque ſibi iniiceret Gellia blanda faces.
Et modo ſævitiem crudæ memorans Telayræ,
Unam quam toto pectore caram habuit;
Ut flebat miſer! illum omnes circum undique Fauni,
Illum Pan flebant, & Satyri, & Dryades.
Immitis Telayra, quid is committere tantum
Heu potuit, quem tu perfida ſic crucias?

As-

Aſpice, quam largo perfundat pectora fletu
  Ambabus tergens ora puer manibus.
Ille poteſt cantu immenſum te ferre per orbem,
  Atque parem antiquæ reddere Tyndaridi.
Tu tantum ne averte oculos, ne deſpice amantem.
  O miſeros nimium quos tuos ardor agit!
At, tu docte puer, quid fruſtra te amplius angis?
  Ne dubita: pœnas ille dabit ſceleris.
Quin te animo obfirma,& contra omnia ſpicula Amoris
  Invictus perſta pectore magnanimo.
Aſpice, quæ longe poſt nos ætas veniat, quam
  Innumera annorum progenies ſequitur,
Illa aliquem feret olim, qui tua facta, tuumque
  Æternas referat nomen in hiſtorias.
Quas inter ſeſe multum admirata deinceps
  Omnia certatim ſæcula pervoluent.
O felix Vulpi, nobis qui talia promis,
  Ne inrepens ætas omnia dente terat.
Quantum Romani te diligit umbra Tibulli,
  Si quidquam hinc campos fertur ad Elyſios,
Quum ſeſe ille tuis audiverit illuſtrari
  Libris, quos Pallas, quos Cytherea probat.
Sextus & ipſe ſuæ laudat te ſæpe puellæ,
  Gratatur juveni Lesbia ſæpe ſuo.
Atque aliquis propriis metuens oblivia chartis,
  Nam longinqua ætas immemor eſſe ſolet,
Quam ſibi fulgorem veſtræ cupit editionis,
  Illius antiquum ne pereat ſtudium!
Tu tamen ornatos, quæſo, ne pone libellos
  Qui tibi ſunt, Vulpi, jam, reor, in manibus;
Morgagni ornatos, immortaleſque libellos,
  Invida quos olim poſteritas releget.
Illic humanis præpandit lumina membris,
  Et fibras fibrarum indicat, atque aperit,
Morborumque domos, & ſacræ habitacula mentis
  Detegit, ut toto in corpore nil lateat.

Quas tenues; cæcaſque vias, ductuſque paravit,
  Quot natura imis, quæ loca viſceribus
Exigua, ut vix vis animi valeat penetrare!
  Atqui hæc ipſa tamen hæc videt, & referat
Morgagnus, tot nobilium pater inventorum.
  Cujus jam celeri fama ſonans ſtrepitu
Trans Batavos, trans diviſos toto orbe Britannos,
  Arctoaſque domos vadit, & ulterius.
Et vero hic ille eſt Morgagnus, quem mea quondam
  Excepit docto Felſina cara ſinu:
Is cui tanta ſedet tam grata modeſtia vultu,
  Nil ut eo fingi poſſit amabilius.
Hic ille eſt, quem nunc Patavi exoptata ferentem
  Dogmata, tota unum ſuſpicit Italia:
Quem nunc propterea Veneti, capita inclyta, Patres
  Muneribus cumulant, atque novis titulis.
O factum bene! O quid me jam lætius eſſe,
  O dî, quid me felicius eſſe poteſt?
Quam ſuaves illi mores, quam candida mens eſt!
  Illi non ulla eſt ira, nec ambitio.
Et rixas odit, veſanaque jurgia, tantum
  Hæc illi, verum noſcere, cura ſedet:
Quod quum perſcrutans cauſas inquirit in omnes,
  O ut mira animos, Juppiter, arte capit!
Nam quidquid vult, non tantum efficit id ratione,
  Aſt etiam facie, & dulcibus alloquiis.
Qualis ubi ætherios accendit Noctifer ignes,
  Flammea quum laſſis Sol juga demit equis,
Aura levis nigræ ſoboles placidiſſima noctis
  Litore nonnumquam ſurgit ab Heſperio;
Agreſtes illam per prata virentia Fauni,
  Et chorus errantum captat Hamadryadum;
Tam ſuavem, Morgagne, animum, tales tibi mores,
  Tale tibi natura indidit ingenium.
Cujus, mi Vulpi, ne ceſſa promere librum,
  Ne deſiderio dum teneor, peream.

Aſt

Aſt ede, atque tuos aliquos adjunge libellos,
Quos Muſæ volvent protinus, & Charites.
Horum unuſquivis, vel ſi penitus periiſſem,
Reddere defuncto mi potis eſt animum.

FRANCISCUS LORENZINI
Romanus

INTER ARCADES

PHYLACIDAS LUCINIANUS
ARCADIÆ CUSTOS.

De Ædificiis ad Anconitanum Portum a Clemente XII. Pont. Max. excitatis.

ELEGIA.

PRotheus Adriacas dum præterlabitur undas,
In nova ſaxa ſuos fortius urget equos,
Miratuſque fretu in medio ſuccreſcere molem
Immanem, & ſævo ponere fræna mari,
Turbidus humenti fera lumina liberat algâ,
Et trifida iratâ concutit arma manu.
Sed nympha illius, cui cura eſt tradita Ponti
Obſtat, & a ſummâ brachia tendit aquâ.
Riſit ad hæc Senior vates, poſitoque Tridente
Suſpendit preſſas aure ab utraque comas.
Squammea mox torvâ protendens cilia fronte,
Luce ſub obſcurâ lumina glauca rotat,
Ac veluti permulta diu quæſiverit anceps,
Redemum inventâ, quam cupiebat, ait,

Even-

Eventura canens; tenuere ſilentia venti,
  Strataque pacato conſtitit unda ſalo;
Neptuni chorus, atque omnis chorus Amphitrites
  Aſtat, & arrectâ colligit aure ſonos.
Felices, inquit, quorum hæc curvatur in uſus
  Machina Clementis nomine tuta ſatis,
Felices nautæ, quorum hæc ad littora puppes
  Compulerit vento proſperiore Thetis!
Memphiticæ, Tyriæque trabes quo tenditis, & quo
  Vos nunc Sidonia robora ſecta manu?
Ecce patet portus, nec erit ſecurior alter,
  Formidatum olim nil timeatis iter.
Lex nova jam dabitur ſcopulis, nova ſyrtibus, ecce
  Avulſas imis mergo voraginibus.
Qui lacrymas legis incluſas Gangetide Conchâ
  Tundit quas roſeo Memnonis ore parens:
Quique legis lacrymas Cynereio è cortice fuſas,
  Serius heu fuſas cortice myrrha tuo:
Quique metalla vehis ſpoliatos rurſus ad Indos,
  Ut referas fragili cymbia ficta luto,
Contrahe vela rati, pelago ſubduce carinam,
  Tranſtraque reſtaura feſſa labore viæ.
Contrahe vela; quid oh rauco clangore tubarum
  Criſpantur tremulis æquora vorticibus?
Æra repercuſſo cur fulgura ſole remittunt?
  Cur vexillorum ventilat aura ſinus?
Quid contexta abies littus tegit omne, tumultuque
  Excutitur peditum, cornipedumque ſolum?
Ponite jam venti furias, ſubſidite fluctus,
  Temperet Jonium mollior aura mare.
Non niſi poſt humeros alis hinc inde ligatis
  Eure tibi poſthac ire redire licet.
Jam prope tempus adeſt, jam milite fortis, & armis
  Sacra Paleſtinæ littora claſſis arat.
Claſſis & hinc ſolvet data ventis vela ſecundis,
  Et ſpolia hinc rediens dividet in ſocios;

Di-

Dividet; Interea fugit en lupa vulnera lambens,
  Et venatores decipit arte ſuos.
Exuvias partite inter vos, & ſinite illam
  Helleſpontiaco membra fovere lacu.
Mox quaſſas reparate rates, atque ite per alta
  Æquora, ſub veſtris militat unda tubis.
Scilicet & terræ, tempeſtatumque potenti
  Signa reſervaſtis bellica danda Deo,
Heu miſeri! rerum nimium furioſa cupido
  Vos tenet, & vitæ prætereuntis amor.
At tu, Sancte Pater, qui præſcia munere Divum
  Corda gerens, populis proſpicis ante tuis,
Tolle animos, molemque ſimul; tua facta ſequetur
  Majus ab inſtructâ poſteritate decus.
Vix ea. Cum vultus revocato ex aure capillo
  Texit, & in liquidas membra reſolvit aquas.

Fons aquæ Virginis a Clemente XII. in priſtinam magnificentiam reſtitutus ſic loquitur.

EPIGRAMMA.

QUod tibi tam dulces effundam Roma, liquores,
  Saxoſis terræ debeo viſceribus.
Splendida quod ſignis, quod molibus ardua ſurgam,
  Id Regnatori debeo, Roma tuo.

Ad eundem Summum Pontificem ut Magnifici Fontis reparationi extremam manum imponat.

ELEGIA.

NYmpha ego nata mari, fugiens Tritonis amorem
  Ignotas terræ permeo clauſa vias;

Do-

Donec amaritie poſita, ſalibuſque marinis,
Finibus erumpo, Terra latina, tuis.
Cognita vix ſalices primum, coryletaque pavi,
Læta uno naſci, læta perire lacu.
Agrippæ tandem deducor munere in Urbem,
Fonte meo populi juſſa levare ſitim;
Tunc humeris Argiva meis Simulacra gerebam,
Marmore tunc Pario conſpicienda fui;
Compta diu vixi; ſed quæ non deſtruit ætas,
Atque illa longe peior avarities?
Diripiuntur enim mihi marmora ſculpta, ruuntque,
Et nudata iterum per cava ſaxa feror.
Perdita quin eſſem, niſi rurſus pulchrior ætas,
Temporaque Auguſti lapſa ſub imperio,
Artibus ingenuis, & moribus aurea priſcis
Principe Te, Clemens, nunc rediviva forent;
Sic modo magnifico ſuſtollor ad Æthera cultu,
Dicar ut antiquum jam ſuperare decus.
Dicor; at in medio laudumque, operiſque decore,
Sponſa velut dubio deſeror ægra viro.
Quid mihi nunc miſeræ tanta ornamenta, quid artis,
Grande quid artificis profuit ingenium?
Quid deſiderium populi, quid purior unda,
Laſſaque quid Romæ vota precantis idem?
Si neglecta jacent me circum marmora, & urna
Parte rudis mæret, parte polita ſilet.
Alme Pater, votum populi, & tua perfice vota;
Extremamque operi da Pater Alme, manum.
Namque ego promitto: læto poſt murmure ſemper
Nomine Clementis noſtra ſonabit aqua.

CA-

CAMILLUS BOVONI JANUENSIS
Congr. de Somaſcha

INTER ARCADES

PHYLLIRIUS BERYTIUS

ECLOGA.

Lycidas, Corydon.

EN nemus Arcadiæ Corydon, en Mænala tellus
Quæ tibi tanta fuit longarum cauſa viarum;
Aſpice quam læti colles, quam laurus opaca
Quam fluat arguto cryſtallina lympha ſuſurro!
Hæ ſunt Mœris oves, ſunt hæc armenta Menalcæ,
Quemque vides fagi grata recubare ſub umbra
Tityrus eſt, Paſtor cælo gratiſſimus, & cui
Omnes conceſſit Phæbus ſuperare canendo.
Aſt incerta moves Corydon tu lumina circum?
Cory. Hoc nemus Arcadiæ? tantis hæc Mȩnala tellus
Carminibus late totum celebrata per orbem?
Hi ſacri fontes, ſedes gratiſſima Muſis,
Nympharumque choris? hæc eſt *Parnaſſia* laurus
Quam capiti ut cingant Vates, tot adire pericla
Nec metuunt tantos animis perferre labores?
Ut fatear Lycida me cernere plura putabam,
Pænitet & patrios me nunc liquiſſe Penates.
Lyci. Infelix, quæ te Corydon dementia cæpit?
Arcadiæ ut loca ſacra queant, colleſque virentes
Parrhaſiumque nemus, gelidoſque inviſere fontes,
Regaleſque domus linquunt, urbeſque beatas
Quique vident vaſtis Phœbum ſe tollere ab undis,
Il-

Illum quique vident liquido ſe mergere Ponto,
Quique colunt gelidis ſubjecta Trionibus arva,
Quique uſtos radiis nimium ferventibus agros.
Pænitet & patrios te nunc liquiſſe Penates?
Cory. Si neſcis, noſtris etiam naſcuntur in oris
Et nemora, & lauri, cingant queis tempora Vates,
Et colles illic etiam, fonteſque nitentes
Nayadum ſedes, Nympharum blanda voluptas;
Si neſcis, humili congeſta e ſtramine ſurgunt
Illic tecta etiam, præcincti & pellibus hædi
Paſtores doctis ſociantes carmina plectris,
Et pecora, & validos ducunt ad paſcua tauros.
Lyci. At qui Paſtores! quæ carmina! num tua ſylvis
Conferre Arcadicis audes fera littora? noſtrùm
Si tibi nota forent Paſtorum nomina tantum,
Non tibi ſorderent iſtæ, te judice, ſylvæ.
Ut ſplendore ſolet devincere ſydera Phœbus,
Ut ſeſe extollunt inter virgulta cupreſſus,
Sanguine ſic veſtris præſtat Paſtoribus Arcas.
Si neſcis, ipſi poſito diademate reges
Hoc nemus Arcadiæ, gratoſque habitare receſſus,
Et pecudes humili gaudent compellere hybiſco.
Audeat Arcadibus quis dein contendere cantu?
Garrulus argutis ut cedit oloribus anſer;
Ut ſuperat raucas dulcis Philomela cicadas,
Sic veſtra Arcadici vincunt modulamina Vates.
Cory. Vis modo nos inter, poſſint quid noſtra viciſſim
Carmina, certemus? cytharam jam ſume ſonantem.
Experiamur. Ego hoc ponam pro pignore cantus
Paſtorale pedum, cui par nec Mænala tellus
Tam laudata tulit, ſacri nec Parrhaſis ora;
Inſuper hanc peram, qua non formoſior ulla,
Et quam me fruſtra Daphnis ſæpe ipſe rogavit.
Lyci. Si tibi tantus amor vacuum hos errare per agros
Abſque pedo, peraque humeros onerante gravatos,
Non renuo. Geminis ponam cum fœtibus agnam

In-

Inſuper hanc cytharam mihi quam donavit Amyntas,
Aſpice, ſi qua fuit cythara hæc formoſior ulla.
At noſtri Judex quis carminis? *Cory.* Ocyus omnes
Eja age rumpe moras, tu te ipſe fatebere victum;
Incipe jam Lycida, carmen nos deinde ſequemur.
Lyci. Adſis Phœbe Pater, vosque alto e vertice Pindi
Caſtalides nymphæ cæteræ huc tendite greſſus,
Atque animum Vati, magnamque inducite mentem.
Cory. Non te Phœbe Pater, non vos de vertice Pindi
Caſtalides Nymphæ nunc in mea vota vocabo,
Tu mihi ſola adſis Virtus, tu ſuffice vires.
Lyci. Si numen mihi Phœbe tuum, ſi carmina præbes,
Hanc ſuſpendam aris cytharam, monumenta triumphi,
Ac tibi lecta feram ſolemnia dona quotannis.
Cory. Si mihi ades virtus, ſpes o tutiſſima rerum,
Feſtiva cingam victricia tempora lauro,
Atque tuas ſemper laudes modulabor avena.
Lyci. Numine ſi pleni Vates hominumque, Deumque
Grandia facta canunt, tua ſunt tua munera Phœbe.
Cory. Cœlicolum ſi ſæpe homines dignatur honore
Jupiter æterno, tua ſunt tua munera Virtus,
Lyci. Carminibus rabiem potuit mulcere ferarum
Threycius Vates, ſtygiumque inviſere Regem.
Cory. Lernæum potuit virtute elidere Monſtrum
Et ſtygium vincire canem Tyrinthius heros.
Lyci. Dulciſonis potuit fidibus jam ſaxa movere
Amphion, potuit thebanos condere muros.
Cory. Inachidæ potuit Virtus fera Gorgonis ora
Cædere, & audaci nubes penetrare volatu.
Lyci. Cum nemus Arcadicum ſubeo, fonteſque ſacratos,
Me Bacchus, me Phœbus amat, me numina cœli.
Cory. Et me Bacchus amat, Phœbuſque, & numina cæli,
Nec tamen Arcadicos ſultus, fonteſque frequento.
Lyci. Ducere feſtivas ſæpe ad mea plectra videres
Per ſylvas circum, Faunos, Satyroſque, choreas.
Cory. Dum modulor verſus, Dryadeſq; hilareſq; Napeæ
Et

Et patrios lucos, & patria flumina linquunt.
Lyci. Dic mihi cur pluvio tot picta coloribus Iris
Apparet cœlo? & ſculpam tua carmina truncis,
Cory. Dic mihi cur gemini quandoque per æthera Soles
Eniteant? *& parrhaſios laudabo receſſus*,
Lyci. Deſine jam Corydon, procul hinc certamina cantus
Ad ſacrum Triviæ fontem nos deinde ſequemur.
Arcadiæ cuſtos nam qui venit ecce Myræus
Si te forte audit, flagranti hinc percitus ira
Illico te pellet, minitans & voce ſonanti;
Dumque furens animis loquitur, nemus omne reſultat.

IN DOMINI NATIVITATEM.

E C L O G A.

Lycidas, Corydon.

Lyc. STertis adhuc Corydon? nec te nova lumina cœli
Improviſa movent, Paſtorum & plauſus in auras?
Cory. Quis me deviƈtum tranquillo lumina ſomno
Excitat? Anne diem ſurgens Aurora reduxit?
Prætulit & roſeos cælo jam Lucifer ortus?
Mira quidẽ! mihi nam mos cum grege linquere tecta
Aurea cum ſurgit roſeis Aurora capillis.
Lyc. Excute jam ſomnum, quæ lux & vicerit umbras,
Atque inſperato radiarit lumine, cernes.
Illa dies venit Corydon lætiſſima nobis,
Ac toties promiſſa dies, optata tot annis,
Quam ſic Paſtores olim cecinere futuram:
Illa dies tandem veniet, qua æquævo Parenti
Æterno Soboles cælo mittetur ab alto.
Audin lætus uti ſua quiſquis tecta colonus
Liquerit, & nitidas egreſſus clamat in auras:
Magna dies, en mira dies effulſit Olympo?
Audin quod virides ſylvæ circumvaga ramos

Læ-

Lætius ore melos fundit, lucemque ſalutat
Verſicolor raras quatiens avis excita pennas?
Cory. Obſtupeo, veluti miris quem percita monſtris
Mens habet attonitum, ſuſpenſo & corde volutat
Plurimus, ebiberint oculi num vera fideles?
Ergone divinus fragili ſub tegmine Natus
Prodiit, antiqui quem jam cecinere Prophetæ
Carminibus ſacri nitidas Jordanis ad undas?
Atque equidem memini, ut ſenior mihi vix duo luſtra
Egreſſo memoraret Avus, multuſque tenellæ
Ingereret menti: *lacrymis, votiſque petita
Felix illa dies! parva ſub imagine Nati
Qua Deus adveniet, nec dedignabitur alto
Virtutem patriam, numenque abſcondere velo.
Oh mox venturas, oh terque, quaterque beatas
Gentes, queis dabitur puerum, niveoſque tueri
Vultus, & veras audire, & reddere voces.*
En tandem, ut placitum Superis, Venerabile Numen
Advenit terris Lycida, quod ſemina culpæ
Proteret, & primæ Mundo dabit otia pacis?
Lyc. Rumpe moras Corydon, ſacramque inviſere mecum
Perge domum, inſpicies quantus lepor emicet ore,
Blandaque Majeſtas torvo non aſpera faſtu:
Allicit ille omnes, veluti frondente per agros
Paſtor ovem ramo pavitantem invitat; Eamus:
Sique libet cantuque viam, calamoque viciſſim
Fallere, dulciſonis ſociemus carmen avenis.
Cory. Non renuo: alternis dicamus carmina Muſis;
Incipe jam prior o Lycida, nos deinde ſequemur.
Ly. Cingite Paſtores myrtoque, & baccare crines,
Noſtram Divus amor ſortem miſeratus acerbam,
Cœleſtem ſummo Natum deducere Olympo,
Diſſimileſque duas potuit, mirabile dictu!
Naturas jungens ſociare hominemque, Deumque.
Cory. Cingite Paſtores myrtoque, & baccare crines;
Sedibus æternis venit fortiſſimus heros,

Aſpera victrici ſolvet qui vincula dextra,
Cujus ad imperium ſtygiis erepta catenis
Incedet greſſu libertas prima ſuperbo.

Ly. Dicite Paſtores, cæleſtem dicite Natum;
Vix ille æthereas prodivit lucis in auras,
Candida Pax iterum delapſa ex æthere ſummo
Lenivit curas hominum, longoſque labores.

Cor. Dicite Paſtores, cœleſtem dicite Natum;
Vix ille apparet terris, acerrimus hoſtis
Compulſus ſævi valles Acherontis in imas
Multa minans, fruſtraque furens ſua vincula mordet.

Ly. Plaudite Paſtores, feſtivo plaudite cantu;
Floribus innumeris colles decorantur, & arva,
Purpureæque roſæ, violæque, & lilia ſurgunt,
Flumina jucundo jam circum nectare currunt.

Cory. Plaudite Paſtores, feſtivo plaudite cantu;
Horrida fugit hyems, placidique tepentibus auris
Demulcent Zephyri natos ſine ſemine flores,
Flavaque jam viridi ſtillant ex ilice mella.

Ly. Pellite ſollicitas Paſtores pellite curas;
Sævus ut ante Lupus non inſidiatur ovili,
Lanigerique greges cum Pardis gramina carpunt.

Cory. Pellite ſollicitas Paſtores pellite curas;
Cum vitulis urſi per florea rura vagantur,
Atque ſimul degunt tauri, immaneſque leones.

Ly. Pone lyram Corydon, & agreſtes deſine verſus;
En ſpecus æthereo ſedes gratiſſima Nato,
En expectati finis votique, viæque.

AL-

ALPHONSUS NICOLAI LUCENSIS
Soc. Jeſu

INTER ARCADES

SALICESTES TELPUSIANUS

CARMEN ELEGIACUM.

NOn ita Perrhæbi Phœbus me vertice Pindi
  Captum ſuavidicis detinet inlecebris,
Nec me adeo Graii delectat temporis ætas,
  Olim quum terris corpora magna Deûm
Verſari, inque vicem terra omniparente creatos
  Mirata eſt ſedes adpetere ætherias,
Mirata & falſi dium genus Amphitruonis,
  Fataque Dardaniæ triſtia militiæ;
Ut non præſtantes multo me adpellere ad artes
  Malim, & quam cunctis artibus antefero
Unam, quam ſtudio nunc omni prima virorum
  Inluſtrant, Sophiæ paſcere amore animum,
Muneraque, & varios naturæ ediſcere mores:
  Cuncta quibus vigeant corpora ſeminibus,
Fœdere quo coëant primoribus ex elementis,
  Aut quam multiplices edere ſponte queant,
Ictave propulſu valido, conliſave motus:
  Num recte Phœbi lampada flammiferam
Certa fixerit in regione Copernicus, & ſe
  Perpetuo tellus turbine circumagat:
An magis hæc hærens, depreſſaque materiai
  Ponderibus propria ſede quieſcat iners,
Lucentemque rotam ſolis quo tramite ducat
  Ille Brahe Cimbrorum incluta progenies,

Ille, inquam, aërios radio deſcribere tractus
  Ipſa olim puero cui dedit Uranie.
Tum cauſſas lubeat, per quas natura gerit res
  Inſpicere, unde extant tam variæ ſpecies,
Dædala quas tellus fert, & genitabilis aër,
  Quas & flammea vis, & mare ſquamiferum:
Numqua novos capiant ortus, quidve auctet, alatque
  Omnia, vel quo eadem deinde peremta cadant:
Qua vi in ſaxa ruit, refluitque, & ſternitur alto,
  Nec fines orarum unda ſupervehitur:
An pelagi ſubter per terras diditus humor
  Paullatim virus exuat acre ſalis
Percolatus, & hinc juges exordia fontes,
  Amneſque, atque alii prima petant latices;
An fluere e pluvio cœptent imbri, & nive multa,
  Quam tepidis poſtquam contigit aura Notis
Liquentem vaſtique ſinus, atque antra receptant
  Montium inexpletis ſubcava fornicibus.
Mî certe hæc animum capiant præclara reperta,
  Nec mentem his unquam quidlibet eripiat
Pervigilem ſtudiis, dum me ſenio defeſſum
  Excipiant parvi funeris exſequiæ.
Eſt tamen, has ne auſim doctrinæ adcedere partes
  Optantem quod me ſevocat: haud equidem
Id loquor, ut memet coner defendere, noſtræ
  Hoc ſibi quod vires æquum onus eſſe negent.
At quod ſæpe viros primores dicere vulgò
  Audivi ipſe, palam expromere quid dubitem?
Omnipotens Natura olim mortalia ſecla,
  Progeniem & rerum quum ederet innumeram,
Ordine quamque ſuo diſponens, ludere ſcite
  Viſa eſt: nam quædam protulit in medium,
Plurima porro axem cæli ſtatuit ſuper altum,
  Agmine quæ denſo ſepta tegunt nebulæ:
Aſt alia occultis terrarum abſtruſa medullis
  Maluit, aut imis abdere gurgitibus.

Poſt

Poſt hominum exacuit mentem, ut perdiſcere vellet
Omnia, pæne ipſis perque videre oculis,
Vellet, ſed deſiderio mox ſciret inani
Falſam ſe, & longos deperiiſſe dies,
Et ſtudia, ingratoſque labores, quum potis eſſet
Vix minimum tantis diſpicere in tenebris.
Ut quum fama vetus deſoſſum monte ſub alto
Aurum ingens tenui prodidit indicio,
Aurum, ſeu gemmas, quas ne improviſa virûm vis
Exſuperans armis mœnia diriperet,
Furtiva obtexit latebra proavûm anxia cura,
Nec meminit poſtilla eruere ulla dies;
Huc aliquis potiundi avido externatus amore
Advolat, obſcura nocte facem quatiens,
Et tacitis inhians ſuſpendit vota labellis,
Diti nec renuit dicere delicias,
Quæſitas ut opes referet: jam grandia cædit
Saxa manu; montis fragmina diſſiliunt
Cum ſonitu magno; jam terraï abdita ferro
Rimatur penitus, nec mora, nec requies
Quin Acheruſia regna, ipſoſque recludere manes
Inſiſtat, ſeque omni excruciare modo.
At tantum ſibi nequicquam ſumtum eſſe laboris,
Væ miſero! & tanto corpora fracta opere
Sentit, ubi putres nil glebas præter acutis
Abradit, duros unguibus & lapides,
Fortunamque, aurumque, vorantemque omnia Ditem,
Spemque ſuam increpitans, turpem & avaritiem.
Sed neque nos tantum quæ terrarum ſola preſſa,
Cælum quæque altum ſummovet; atqui etiam
Iſta latent, quæcumque inluſtrans ætherius Sol,
Atque oculis quæcumque obiicit orta dies.
Intima nam rerum fas internoſcere non eſt
Corpora, nec quo ſit prædita materies
Nexuque, motuque; ex iſtis nulla tuentes
Quandoquidem ſpecies manat ad uſque oculos:

Sed tenuem tantum effigiem, quæ fronte relabens
Prima fit noſtris obvia luminibus,
Adſpectare licet propius, formamque, coloremque;
Ac veluti ſummis extima corticibus.
Quod miſere quemque excruciat conviſere aventem
Res ipſas; & quamquam obſita mens tenebris
Permetuens tam multa tamen neſcire fateri;
Occultas veri irrumpere qua pote vi
Adgreditur latebras; at plerumque avia fertur,
Ac temere, quamvis nulla fidem ratio,
Aut hebetes faciant ſenſus, ſibi plurima fingit,
Narratque incautis ſomnia ſæpe mera:
Non ſecus ac nos Muſarum artibus invigilantes
Mira & quæ nuſquam dictave factave ſunt,
Tradimus, Eumenidaſque, armatamque igne Chimæram,
Gorgonaque, & Scyllæ corpora ſemifera,
Tergeminoſque canes, & nubigenas Centauros:
Adde auſum ſolis flectere quadriugos
Magnanimum Phaëtonta, atque Idaeum Ganymedem
Raptum ad ſtellantes alitis ungue domos.
Jamne mihi fas majus adhuc quid promere? credo,
Fas: o mentes, o pectora cæca hominum!
Ipſa etiam rerum facies prima, & color ipſe,
Spectantum quamquam perciet uſque oculos;
Haud tamen omnino ſe aperit, nec tarda videt mens,
Quæ natura olli certa, vel unde genus;
Quid forma illa virens, quæ terras frugiferentes,
Herbaſque, frondeſque integit arboreas,
Quid quod lilia cana facit, varioſque hyacinthos,
Quos tenero carpunt pollice Hamadryades,
Unde rubet roſeo veſtis circumlita fuco?
Unde liquor ſummo cæruleus pelago?
Cur cælo fulget lux flammea matutino,
Aut perlucidulis aurea chryſolitis?
Omnia quæ perplexa relinquunt, inque voluta,
Dum cauſſam ille aliam tradit, & ille aliam;

Quip-

Quippe colorem aiunt, nixum quod ſemper inhæret
Corporibus quiddam, quod pote corporeum
Non itidem corpus dici, nec ſiſtere per ſe:
Quos ecquid, quæ ajunt, ſat bene noſſe putas?
Non, ita ſim felix, norunt; verum mage denſant
De media inviſas nocte animi tenebras,
Olim queis Arabes, atque extremi Nabathæi
Fœdarunt pulchram turpiter Auſoniam.
Seu gigni perhibent vibranti luminis ictu,
Inſita dum ætherios vis rotat orbiculos.
Sive ſubobſcuras radiorum flexibus umbras
Admiſcent, quum lucem aſpera multimodis
Diſpergantque, trahantque, at lævia texta remittant
Protinus, atque oculis ipſa ferant speciem
Multiplicem & variam; qualis flamma evolat alte
Nubem inter jam non candida fumiferam,
Aut plenum luna interfuſa vaporibus orbem
Verſicolor primis exerit æquoribus.
At quonam mea jamdudum mens læva deerrat?
Quove abit? aut ſe cur amplius excruciat?
Nonne patent hæc jam? nobis nec inaniter ætas
Prodidit hæc cupidis de meliore nota?
Quum nova præpandens obſcuris lumina rebus
Ignavam obtrivit ſtirpitus inluviem,
Inſiſtenſque vetuſtatis depellere durum
Imperium, ſanctæ reſtituit Sophiæ
Ereptum decus, & ſenium procul ablegavit
Neutonus, magni quem Oceani domina
Inſula ſuſcepit, ſuſceptoque amplius uno
Gaudet, quam magni eſt quod domina Oceani;
Et vero ille aliis tantum omnibus, Inſula quantum hæc
Anteſtat reliquis maximo in Oceano.
Hunc adeo, ſiquos divinæ prodigere auræ
Particulas, vel cœca abdere nocte piget,
Suſpicite, hunc rerum naturam expendere doctum
Certas per leges conſulite aſſidue.

Scilicet hunc non pugnandi veſana lubido ;
 Non temere priſcis nixa fides proavis ,
At præſtans labor , at ſolers cura experiundi
 In ſecrera tulit nullius ante ſolo
Trita adyta , evolvens rerum primordia ; & o quam
 Multa hinc cognita ! quam , Juppiter , egregia !
Hinc ratio omnigeni patefacta eſt vera coloris ;
 Nec falſis mentem ludit imaginibus .
Nam tenuis quum lux conclavi excepta nigranti
 Incidit , & rectam cœpit inire viam ,
Si læve imprimis vitrum , formaque triquetra
 Forte interponas , illa viam ſubito
Obliquat , cœptoque refringitur avia curſu :
 Tum in ſeptem , veluti faſciculus , radios
Solvitur , & proprio tandem diſcreta colore
 Septenos certa diſtribuit ſerie
Orbes parjete in adverſo per mutua nexos :
 Ergo primigenas ſcire licet ſpecies
Prodire hinc ſeptem , radiiſque ſuum eſſe colorem ,
 Quo non ars illos exuere ulla queat .
Hic violam (namque hoc adparent ordine) præfert ;
 Indica at hunc tellus adſimilem cyano
Mittit ; compoſiti tum agnoſcas cærula ponti ;
 Hic virides herbas exhibet , ille crocos
Flaventes Cilicum , dein limbo fulget in imo
 Aurumque , & rubro circulus e minio .
Quo vero lux quæque impacta magiſve , minuſve
 Frangitur , aut rerum corpora tranſvehitur ,
Aut contra extremo reſilit de cortice flexa ,
 Hoc noſtram pariter aptior eſt aciem
Sive una , ſeu multigena percellere forma .
 Nam ſi lux tantum flava repulſa redit ,
Flava ferit ſpecies oculos , ſi cærula flavam
 Implicuit , reſluit miſta quoque effigies :
At quum pæne omnis radiorum turba remigrat ,
 Aut omnis fibras tranſilit ingrediens ,

Tum

Tum canis videas nivibus, ſectoque elephanto
Certare, aut fuco per lita cuncta nigro.
Ipſa autem cur lux impacta magiſve, minuſve
Frangatur, nondum certa liquet ratio.
Id tamen & libeat Neutono adcredere: namque eſt
Forte alia e minimis linea particulis
Tenuior, & facile occurſantia tramite recto
Permeat; at globulos illa, vel illa trahit
Grandiculos, ægre penetrans res inter eundum,
Quamquam etiam rerum ſpiſſane texta magis,
Rarane ſint, refert, an lævia fronte ſuprema,
Hamata an feriat, perque plicata jubar,
Ut poſſit non æque in ſingula permanare,
Aut frangi, cœptum ſive reflectere iter.
Sed jam præfulgens tempeſtatem inter opacam
Tollit ſe, & tractus dividit aërios
Inſigni protenta arcu Thaumantias Iris,
Iris formoſæ nuncia lætitiæ.
At tibi, quo tribuente, evenit tanta venuſtas?
Quis potuit Zonam pingere tam rutilam.
Tam variam, variiſque coloribus intertextam?
Illam num Juno maxima Cælicolum
Ipſa auro tenui, & croceo diſcrevit acantho;
Cæruleaſque undas addidit, & cyanum,
Et ſuavem violæ florem; virideſque ſmaragdos;
Extremoque roſam in margine puniceam?
Sed quid ego vatum rurſum in commenta relabor;
Quove mihi obtrudit ſe domina illa Jovis?
Nec docuit proavum tamen ætas Iridis ortum
Verius; ut, quum agros proluit aridulos
Scilicet imbriferis tempeſtas incita ventis,
Viſceribus tellus fœta nitrum volucre,
Tenuiaque oppletis excludat ſulphura venis,
Auras quæ deinde educta ſub ætherias.
Ardeſcunt ſole admoto, varioſque colores
Qua correpta magis, qua minus igne, trahunt

Aut

Aut quum ſupremum Sol adſcendens petit axem,
Seu devexus equos ſuſtinet occiduos,
Concavam ut obliquo perfundat lumine nubem,
Unde extat ſecto diſcolor orbe ſinus.
Non has, non certe longo poſt tempore cauſſas
Neutoni expertum protulit ingenium.
Ille coloratam ut potuit pernoſcere lucem,
Septenas arcum protinus in ſpecies
Diſtinctum reperit; diſcreti namque trigono
Ut vitro emergunt multiplices radii,
Lucida ſic Solis dum adverſi tela penetrant
Concreto guttas aere nubiferas,
Deflectunt infracta viam, rurſuſque in apertum
Manant diffutis æthera ſtaminibus,
Recta quæ noſtros pulſant quum ſingula viſus,
Perlucet varius pendulo in imbre color.
Nec vero noſtros percellunt omnia viſus,
Sed partim campis irrita diſpereunt,
Partim alios ineunt oculos: diverſaque paſſim
Diverſi curvatæ Iridis ora vident.
Ac ne jam nubeſque cavas, fumoſque requiras
Sulphureos, præſto eſt ipſa tibi propius
Iris, nulla licet puro ſint nubila cœlo,
Et madidus nullas Auſter agat pluvias.
Adſpice, qua tubulis arcte concluſus aquæ fons
Carpit iter liquidum vi ſubita exſiliens,
Quales per riguos hortos, & regia Tempe
Concinnat ſæpe ars callida delicias;
Adſpice, fulgentem recidens ut præferat arcum,
Solis ab adverſo dum ebibit igne jubar.
Quin etiam obvertens Phœbeo terga nitori
Si tumido clauſos ore puer latices
Intentus ludo ad ſuperas proflaverit auras,
Irin diſcretis ilicet exiguam
Suſpicies guttis enatam, & luce vibranti:
Hinc proprium tibi jam proferet ipſa genus.

Quam-

Quamquam illa aera per nimboſum haud lętior umquam
Fulſit, quam Divùm quùm Pater omnipotens
Immenſos toto rùit imbres æthere; nec non
Alta fluentiſonis æquora litoribus,
Æquora luctantum volventia corporum acervos.
Quippe heù ſupremo fùnditus exitio
Hauſtum pæne ſimul periit genus omne animantum;
Atque orbem tellus reccidit ad vacuum.
Et merito; quoniam fas ruperat omne, piumque
Mens hominum nullis territa flagitiis.
Una inter fluctus navis ſuper impendentes
Hæſit verticibus ſoſpes in Armeniis.
At Pater altiſono tandem miſeratus Olympo
Abſumpti exiguas relliquias generis,
Formoſam edixit pluviis in nubibus Irin
Jam fore, quæ certo fœdere progeniem
Venturam; terraſque ſupremis necteret aſtris;
Nec ſineret longos imbribus ire dies.
Sancta veni, & trepidis felix mortalibus omen
Læta feras pacis munera perpetuæ.

De primo Franciſci Incontrii Archiepiſcopi Florentiam adventu.

ELEGIA.

QUod, te præclaro meritum poſtquam auxit honore
Illa Deum proles incluta Relligio,
Nondum ego compoſito te carmine compellavi,
O Pater; & tacitis gaudia pectoribus
Uſque premens nondum noſtræ quæ munera poſſunt
Pierides; tibi quæ & debita, perſolui;
(Quamquam hæc haud avet, immo etiam fert ægriùs, oris
Iſte tuus pudor; & candida mens animi)
Id tamen haud factum credas; quod gaudia parva
Sentiam, & ipſe mei ſim immemor officii.

Non,

Non, ita me Dii ament: & tantam pectore cœpi
  Lætitiam, quantam vix capit ipſe animus,
Et teſtes volui, cupiique expromere voces,
  Quam qui valde aliquid velle pote, aut cupere.
At, quæſo, quanti eſſe putas, te intexere chartis,
  Et de te carmen condere clariſonum?
Hoc illi poſſint, queis adſurgit pater ipſe
  Delius, & magnis vatibus adnumerat:
Mî perrepere humum dedit, & quum nitor ad auras
  Calliope ridet grandia vota mea.
Ac veluti quum ſæpe nigranti noctis in umbra
  Ludens multimodis ſomnus imaginibus
Aërii puerum ſtatuit ſub vertice montis
  Adſcenſum cupidis ſuſpicientem oculis,
Feſulei montis vel nimbiferi Apennini:
  Hic geſtit ſupremum exſuperare jugum,
Unde manu prenſet nubes, & gaudeat imas
  Deſpectans terras, & mare navigerum;
Inſiſtit pedibus ſummis, iter inque peditum
  Adrepens carpit, jam magis atque magis
Frangit membra labor, jam toto corpore manat
  Sudor, vix potis eſt ducere anhelam animam,
Nequidquam: vano nam ſe conamine laſſum
  Sentit, ubi caſu exterritus evigilat:
Sic te dum ſummo æquiparat cœlo ardua virtus,
  Suſpiciam, at fruſtra magnum iter ingrediar.
Non animus, non tarda valet mens; ipſaque, credo,
  Deficiat doctis Calliope numeris,
Calliope, quamquam hæc Muſarum maxima fertur,
  Hæc quamquam ridet grandia vota mea.
Sed dicam tamen ut potero, nequis merito me
  Arguat in patrem non ſatis eſſe pium.
Vos jam igitur dias exite in luminis oras
  Verſiculi, fœtus pauperis ingenii.
Hæc me, quæ frontem late magnum per inane
  Circumagunt ipſis æmula ſideribus

Tem-

Templa vocant: en hic Divum penetralibus adſtat
 Relligio, puris ſacra ferens manibus.
Scis, Dea, te ut ſemper coluit Franciſcus, ut unam,
 Scis, inquam, toto pectore caram habuit.
Tempore, quo primo florebat vere juventæ,
 Ætas quum inprimis multivola eſt hominum,
Non illi inflexit ſenſus jucunda voluptas,
 Non animum blandis perpulit inſidiis;
Ille &, quæ turpi tangit robigine mentem,
 Paullatim libans omnia adepta bona,
Deſidiam, molleſque epulas, ductaſque choreis
 Noctes, quæ miſere depereunt juvenes:
Ille & opes diræ præbentes pabula fraudi
 Invictus repulit pectore magnanimo.
Ut quondam Laertiades in conjuge caſta
 Flagrans, ille Aſiæ maxima pernicies,
Sirenes nitidum Ponto caput attollentes
 Præteriens, dura reſpuit aure modos
Flexanimos, & quas pulcherrima Neptunine
 Ogygio fecit litore delicias:
Rejecitque manu fallacis pocula Circes,
 Hæc Solis quamquam filia pollicita eſt
Immortale ævum, & magni inter ſidera mundi
 Æqualem divis fulgere Cœlitibus.
Magnanime o Laërtiade, ſic parta Deorum eſt
 Vita tibi, & tanto regia Penelope
Recte gaudet hero, & præclara fraude procaces
 Dulichio extrudit limine volturios.
Felix! ſed quid ego laudes admirer Ulyſſei
 Et tantum a primo carmine digrediar;
Hunc jam tum juvenem multis e millibus unum
 Suſpicio; nam quis purior, aut animo
Fortior inlecebras vitare & operta venena,
 Primævæ ætatis difficile ivit iter?
Tu, Dea, tam multis è flexibus egredientem
 Juviſti certo provida conſilio.

Ip-

Ipſe autem ut te perpetuo complexus amore eſt !
  Præſtitit ut ſemper ſe tibi morigerum !
Nam ſive auricomus primum jubar extulerat Sol ,
  Seu canae ſeſe Tethyi reddiderat ,
Olli tecum una totum ſe dedere ſacris ,
  Tecum una his mentem paſcere cura fuit :
Inſtitit , & vitam merces quæ puriter actam
  Aſtra ſuper maneat , quæ benefacta hominum
Æternum vigeant , nec longa obliteret ætas ,
  Quærere ; tum quidquid protulit ex adytis
Doctrinæ & morum alma parens ſapientia Divûm ;
  Atque adeo Divûm numina ſancta coli
Quo deceat ritu , quo templis debita thura
  Reddere , quæ feſtis munera luciferis .
Hæc illum ſtudia , has verſantem pectore curas
  Viſebat veniens lux alia , atque alia .
Quare quod tibi non quiſquam jam carior illo eſt ,
  Te & pariter tantæ cœpit amor fidei ,
Mirum hoc ſit fortaſſe profanis , non mihi certe ;
  Imo pace tua dicere mi liceat ,
Mirer ego , ſi ſit quiſquam tibi carior illo ,
  Te & capiat tantæ nullus amor fidei .
Sed tu diligis hunc impenſe , Diva , & in ipſis
  Fers oculis , quin & munera larga refers .
Nam juvenis poſtquam eſt functus tibi naviter omni
  Officio aſſiduæ templa Deûm celebrans ,
Auctum fulgentique pedo , aurataque tiara
  (Quamvis non animum hæc ureret ambitio ,
Quin etiam invitus , manantes teſtor ocellos
  Fletibus , invitus prodiit e latebris)
Tu tamen inſignique pedo , aurataque tiara
  Comtum Tyrrenis ſedibus attribuis ;
Atque una tantis mœroribus externatos
  Nos omni reficis munere lætitiæ .
Te monſtrante , Pater Romana hunc vidit ab arce ,
  Dum terras animo proſpicit , & maria ,

Con-

Conſilioque, manuque Latinam conſtituit rem,
Ille, inquam, ille urbis gloria Felſineæ:
Vidit, &, hic Floræ Præſul, ait, & Pater eſto,
Et noſtri partem fulciat Imperii.
Ecce venit: vulgi plauſus jam contigit aures,
Et fremitus bijug..m ad ſidera quadrupedum.
Pande fores agedum, cuſtos: jam limine plantam
Intulit, oſtrina nobilis in tunica.
Ingredere, o Præſul: viden ut ſubito exſiluere
Ardua inauratis templa cacuminibus?
Ingredere: en tibi primorum circumundique præſto eſt
Sacra manus, magnis cui genus a proavis,
Cui decus imbutam viola, mollique hyacinto
Ferre togam; at virtus quam mage dia nitet!
Jamque datas utraque manu complectitur aras
Præſul, cumque ſuo ſacra facit populo.
Nonne vides propiore in numine ſuſpirantem?
Ut manat toto flammeus ore calor!
Ut penitus penituſque ardentem pectoris æſtum
Exſpirat, multis non ſine lacrymulis!
Sic tenui nubes interdum liquitur imbri,
Solis quum primis incaluit radiis.
Vos nunc ſpemque bonam capite hinc, & candida, cives,
Omina; jam vobis tempora læta fluent.
Stabit Relligio florens hoc vindice, veſtras
Et certo ſedes incolet hoſpitio.
Non hic fraus mala, non admiſti crimine cultus
Non dicta in ſanctos impia, factave heros.
Hinc Lethæa choors procul, & ſcelerum genus omne
Ibit deſertas abdere ſe in latebras.
Ut quum multigeno terras diſtincta colore
Jam retegit lux, & Memnonis Æthyopis
Aureolis variata ruboribus, uda capillos
Purpureis mater ſe extulit æquoribus,
Averſæ paſſim, paſſim capita inflectens
Certatim ſubeunt devia teſqua feræ;

Nam-

Namque inſtans acri pavidas Sol verberat igni,
Nec vim tantam hebetes ferre queunt oculi.
Pura fides aris integros reddet honores,
Et ſacris pietas debita liminibus;
Tum vos fama feret per gentes præpete penna,
Antiqui repetens temporis hiſtorias.
Nam ſcitis, quantum ſacris excelleret olim
Thuſcia; ut ipſa etiam fortia Romulidum
Pectora, quamquam hæc ſuſtulerat lupa Martia bello
Apta magis, legeſque & fera jura dabant
Qua tellus, late qua panditur Amphitrite;
Hinc feſtoſque dies, & ſua Cælicolum
Jura tamen, legeſque ſacrorum hauſiſſe ferantur:
Tum vis, tum domita eſt illa animi feritas.
Audiſtiſne aliquem, ſciſſo qui protinus arvo
Extitit? ille Tages dictus ab indigenis
Divinus vates omnem vitæ rationem,
Et mores proavis tradidit, & ſtudia:
Nec tantum formas rerum dedit omnigenarum,
Stellarumque ortus diſpicere, atque obitus,
Ætherioſque orbes, imbremque nivalis aquai,
Vimque, & ventorum multiplices animas;
Quidquid & hoc cælum ſpirabile, quidquid & aër,
Et genitor Nympharum educat Oceanus;
Sed magis æternoque Jovi facere, & magnis Dîs,
Atque aras docuit ponere thuricremas;
Sed mage quid ſortes, quæ fati providus ales
Eventura canat, quidve ferat tonitru
Horriſonum lævo cæli, ſeu limite dextro.
Tum inprimis miro doctus haruſpicio
Præmonuit, Divum averſam queis prodere mentem,
Queis placidam, ſolita eſt nuncia fibra notis.
Vana Tages finxit certe hæc, ſed Thuſcia jam tum
Sacris addictum prætulit ingenium.
Nunc vero propriam hic ſtatuit, te Præſule, ſedem
Supremo delapſa æthere Relligio.

Hoc

Hoc modo, quandoquidē tantū hoc auctor mihi Phœbus
Adnuit; incomtum carmen & horridulum
Accipe, ne mea ſiut in tanto gaudia plauſu
Obſcura, aut, ſi fas, hæc etiam recolat
Poſteritas: at quidquid erit, nunc tu accipe tantùm
Dona hæc, quæ tribuo, parva, ſed ex animo.
Atque utinam tibi Mæonios olim edere verſus
Poſſim! incana hos tum ſæcula pervoluent.

Cardinalis Malvetii ſacri Bononienſium Paſtoris in gregem ſuum caritas.

EPIGRAMMA.

NEmo tantum aliquem potis eſt, tamq; unice amare,
Quantum formoſas Daphnis amat pecudes;
Nam ſivè aërios gaudent depaſcere colles,
Sive æſtum patulis protegere arboribus,
Seu quidquid faciunt, Daphnis ſuſpirat in illis,
Blanda canens teneris carmina arundinibus.
Unus & his amor eſt huic contra velle placere,
Huic contra dulces reddere blanditias
Balatu tenero: verum & ſiqua avia fugit,
Illam per cautes, per juga, per ſilvas
Inſequitur Daphnis; nec curſu frangitur ullo,
Dum ſublatam humeris ipſe Domum referat.

Ejuſdem in gregem ſuum vigilantia.

EPIGRAMMA.

NIl adeo, quantum eſt in vita ſuavius omni,
Daphnin ſollicito quidquam ab amore gregis
Avertat, pro quo huic omnem perferre laborem
Tam ſuave eſt, quam quod ſuavius eſt animo.

Dî, quam multa ſacris operatus vota profundit;
  Et lacrymas, magnis non ſine muneribus!
Ne puri latices; quum terras æſtus hiulcat,
  Ne quum ſævit hyems, gramina deficiant:
Et validas carò ſepes prætendit ovili;
  Atque aditum externis obſtruit inſidiis:
Omnia dein luſtrat; dein omnia circumſpectat;
  Nocturnis etiam pervigil excubiis:
Quare hinc jam procul eſte; mali fureſque; lupique;
  Ex alio vobis præda petenda grege eſt.

Votum pro Joſephi Martellii Archiepiſcopi Florentini ruri commorantis valetudine.

EPIGRAMMA.

SEu nunc, o formoſa Salus, tenero legis ungui
  Pæonia Etruſcis gramina verticibus;
Seu nunc rore levi vitales elicis hauſtus,
  Dictamnum flamma pingue liquefaciens;
Diva veni: egelidi dum captat munera ruris
  Præſul, ſemotis & vacat in latebris;
Et ſi vis vitam; atque animam debere tibi nos;
  Aut ſiquid vita eſt carius atque anima;
Relliquias aufer morbi: namque omnibns ille eſt
  Et pater, & vita carior atque anima.
Crede mihi, propera; noſtra tibi ſtabit in Urbe
  Gratia; nec de te fama tacebit anus:
Et ruris nos primitias cum thure feremus;
  Annua ſacratis munera liminibus.

In

In obitum Franciſci Comitis Bardii a Vernio.

EPIGRAMMA.

NOn te immaturo præreptum funere, nec jam
 Dilapſum in mutos conquerimur cineres,
Bardj; cui virtus Letheæ neſcia noctis
 Inſtitit ad ſedes Divûm aperire viam;
Felices Divûm ſedes, quas aurea veſtit
 Jucundo ſemper lumine lætitia.
Non te, ſed noſtra interitu ex hoc vulnera flemus,
 Non tibi ſed nobis fundimus has lacrymas:
Quorum heu! ex oculis nunc tot bona, tantaque morum
 Obtrita eſt ſpecies, atque animi probitas.
Nec quidquam poteſt ſuſceptum lenire dolorem,
 Nec tantam ex animo demere triſtitiam,
Ni ſuperent fratres, tuaque una vivat imago,
 Et morum ſpecies, atque animi probitas.

Ad Muſam.

EPIGRAMMA.

O Dea, quam nos Dîs ipſis cæleſtibus inde
 A primo ætatis tempore prætulimus,
Da lectos non vulgivago de fonte liquores;
 Quales indulſti vatibus egregiis,
Quos aureum tulit olim, ſed nimium breve ſæclum,
 Paucorum & modo eunt docta per ora hominum.
Da, Dea ſancta, precor, quodcumque expromimus, eſſe
 Aureolum, & pura purius ambroſia.
Tum tibi nos urenda focis dabimus, rudis ætas
 Incomtum quidquid ſcripſit, & illepidum.

MELCHIOR S. R. E. CARDINALIS DE POLIGNAC GALLUS

INTER ARCADES

THEODOSSUS CEPHYSIUS.

Excerpta quædam ex ejus Antilucretio.

NEmpe novo cultu campum domiturus arator,
Protinus agreſti non credit ſemina fundo:
Sed prius hirſutos vepres, dumetaque paſſim
Diruit avellens; tum crebro vomere frangit
Indocilem glebam, & raſtris contundere tentat.
Sic ego paulatim, ſpinas tua pectora circum
Enatas, argumentis exſcindere conor:
Ne ſegetem emittant vivaci è ſtirpe nocivam;
Ac vetus intactâ radice repullulet error.
Tunc meliore ſolo conſurgent ſemina Veri.
Tunc & ſinceros tibi cognita pandere vultus
Incipiet, vindexque ſui Natura parentis;
Decutiet fucum, quo gens incredula pinxit
Invitam, & clare Dominum confeſſa loquetur.
Humanam idcirco, quæ nobis intima, Mentem
Ante oculos poſui; quiddam ut conſiſtere ſcires
Materiem ſupra, quod eam regat. Inde probatum eſt,
Mentem illam effigiem Mentis tantum eſſe ſupremæ,
Quæ moveat Mundi partes, & ſimplice nutu,
Invalidam per ſe ac per ſe motoris egentem
Materiam, formas convertere poſſit in omnes.
Jam tibi nota tuæ patet excellentia mentis,
Quam deturparat maleſuado carmine vates,
Indignans in ſe quidquam haud mortale putari,

In-

Inviſumque ipſa fugiens in imagine Numen.
Sed cupit ille mori fruſtra, cui vivere fatum eſt.
  At vero te bruta movent; quæ tota reſolvi
Cum pereunt, nec materia quid majus habere
Et canis, & poſſum, vel ſi lubet, ipſe fateri.
Hæc itaque objectas fidens, ac ſæpe reponis
Eſſe illis animam noſtræ ſimilemve, parumve
Diſſimilem; per quam ſi non ſublimia rerum
Scrutari, tamen hæc valeant cognoſcere ſaltem
Quæ ſibi conveniunt, generique & idonea vitæ.
Quippe recordari, ſentire, audire, videre,
Olfactu, guſtu, res & ſecernere tactu,
Et fugere atque ſequi cernuntur, & artibus uti;
Internoſſe ſuis etiam medicamina morbis,
Et varias inter legere hanc, quæ proderit, herbam;
Inde Voluptatis ſenſu pariterque doloris,
Lætitiâ & luctu, ſpe vel formidine tangi;
Sic & amore & amicitiâ, ſtimuliſque viciſſim
Irarum atque odii: varioque cupidinis æſtu
Currere ad illecebras; ultroque ac ſponte moveri;
Inſuper & morem gerere & manſueſcere cultu;
Blanditiis delectari, & parere flagello.
  Hinc aliquas vitiis, aliquas virtutibus olim
Inſignes dixère feras; hominique fuiſſe
Primitus exemplo, atque opera ad complura magiſtras:
Ut canis occultum ſylvis deprendere Damam
Nare ſagax, & odora ſequi veſtigia prædæ,
Venari docuit. Super hoc miracula narras:
Quo deſiderio, quâ ſollicitudine raptus
Amiſſum perquirat herum, tandemque reperto
Geſtiat exultans; cuſtos quàm fidus & audax
Credita terrifico latratu limina ſervet;
Arceat a ſtabulis fureſque lupoſque rapaces;
Atque vagas prudens reddat præſepibus agnas:
Tum comes ipſe viæ, quoties benefacta rependens
Aggredientem armis irruperit acer in hoſtem;

Aut occiſorem morſu patefecerit ultor.
Nam cur diſſimulem vulgò quæcunque feruntur?
Fortè etiam inſidias Vulpes, artemque latendi,
Perque canaliculos fodiendæ ſubtus arenæ
Monſtravit, fecitque viam ad quærenda metalla;
Unde homines docti cœperunt viſcera Terræ
Rimari, exciſoſque manu ſubvertere montes.
Et, nimis ah! niſi nos odiis acuiſſet ad arma
Ipſe furor; ſtragem violans lupus atque ruinam,
Magnanimuſque leo docuiſſet prælia belli.
Proſilit ad prædam rapidus leo, Cæſar ad Orbis
Imperium: finis, fateor, diverſus utrique:
At non diſſimiles pugnæ: labor unus & idem,
Quo cœnam Fera, quo Regnum ſibi comparat Heros.
Et quid non Elephas, quid mimo Simia geſtu
Non præſtat; vafra & Felis; ſaltator & Urſus?
Lucifuga enutrit truncatos Noctua mures,
Ne fugiant; prædamque ſibi gratiſque ſaginat.
Paxillos in aquam primus defigere Caſtor
Inſtituit, laribuſque inimicum avertere flumen,
Et ligna intrito atque intritum jungere lignis;
Arboris exciſæ trunco mandare cavato
Invalidos fœtus; & pro temone relicti
Summa tenens rami, ſtagnis deducere lembum.
Sic paleis limoque caſas firmare madentes
Nidificans altè, prænuntia veris, Hirundo.
Nec minus impatiens hyemis gelidæque pruinæ.
Quæ comes huic migrare ſolet Philomela quotannis.
Auribus ingeminans noſtris mirabile carmen,
Impulit humanas apta ad modulamina voces.
Callida quin etiam dum tendit Aranea laxos
In foribus caſſes, internectitque ſagenam,
Retibus & piſces & aves captare doloſis
Admonuit; telas eadem, vel texere pannos,
Cum trabibus ſaxiſve ſedens, & fornice tecta
Stamineo, laqueos fundavit utrinque tenaces.

Ac ſtipata premens ſtrinxit ſine pectine fila.
Cætera quid referam? Quanto Formica labori
Menſibus incumbat calidis, tectoque recondat
Provida congeſtas hyberna in pabula meſſes;
Erudiens mortale genus, tardamque pigrorum
Deſidiem increpitans hebetemque ad munia ſenſum?
Cernis, ut uvidulos libans Apis aurea flores
Decerpit lentum humorem, & ſalſugine dulci
Telluris medicatum adipem, pretioſaque cœli
Munera, purpureis ſparſim gemmantia mappis;
Et rorem exſurgit, quem concoxere tepentes
Primitiæ radiorum & blanda exordia lucis.
Inde domum revolat ſpoliis fragrantibus uda,
Serpylloque thymoque gravis, prædâque ſuperbit,
Tum lectas partitur opes; ſexangula primum
Horrea ductilibus ceris, crateſque favorum
Per forulos & cancellos quincunce politâ
Ædificans, Credas muſivum opus, ordine comtum
Dædaleo; Euclidiſque omnes didiciſſe figuras,
Fabrileſque diu docilem excurriſſe per artes:
Sic ad libellam concinnè, ſic adamuſſim
Cuncta; cavis adeò vaginis limpida forma eſt
Et nitor; ingeniumque & mira induſtria lucent.
His tandem dites epulas, præſaga futuri,
Condere amat: cum triſtis hyems nudaverit Orbem,
Omniaque ingrata torpedine capta jacebunt,
Melle ſuo tacitos inter ſaturanda penates.
Præterea ſi quæ latebris peraguntur in illis
Inveſtigare eſt, quot erunt memoranda? Fovetur
Publica res; fraternus amor, mens omnibus una.
Sunt mores apibus, ſunt jura, ducemque ſequuntur,
Et ſua quemque manent obeunda negotia civem.
Eſt quoque militiæ labor ac decus; arma capeſſunt
Pro patriâ exiguiſque focis: ſunt agmina ſæpe
Miſſa colonorum, nova qui procul oppida condant;
Et gentis leges, ritus, nomenque propagent,

Quid majus meliuſve hominum ſapientia præſtat ?

NUnc age, totius quænam ſit machina Mundi,
Quâ conſtet formâ, & motus quâ lege regatur,
Dicere fert animus, totumque expandere Numen.
Maxima jam veniunt oculis ſpectacula noſtris.
Ac veluti crebris Aquilæ conatibus alas
Concutiunt, cum ſe primùm è convalle profundâ
Ad cælum attollunt, & grandia corpora librant,
Et ſibi ſufficiunt cunctantes verbere ventos,
Phœbeoſque bibunt avidis obtutibus ignes;
Sic ubi ſemina per perque hæc mortalia ſæcla
Reptando, vitæ fontes inviſimus almos,
Altius eniti juvat, aerioque volatu
Sidereos luſtrare oculis audacibus orbes.
Aſpice quæ vaſtis regionibus aſtra vagantur;
Quæ certis affixa locis, & lumine puro
Tranſadigunt Cœlum, nativaque fulgura vibrant;
Hunc etiam lucis, tempeſtatumque parentem
Auricomum Solem, Cœli qui templa rigando
Et maria & terras fecunda lampade luſtrat:
Protulerit ne Deus magna hæc miracula rerum,
An caſus dederit, ceu fert doctrina Lucreti,
Quærendum ſupereſt. Cuncti noctesque dieſque
Tranſigimus, cuncti menſes numeramus & annos,
Et fruimur ſegetum renovatis meſſibus, aurâ
Ætheriâ, ſylviſque, & jugi flumine aquarum,
Et Phœbi radiis, & amico munere Lunæ:
Quis rerum curat tantarum inquirere cauſam,
Atque modum, qui cauſam aperit? Plerique verentur
Scire, quod invitos doceat cui talia debent.
Sed tu, quem Veri nunc jam tenet una cupido,
Conſule quid veterum ſcriptis inventa recentum
Addiderint & quæ tanti peperere labores
Fac tua diſcendo. Nunc purius imbibe lumen:
Pronior in liquidam veniet ſapientia mentem.

En

En ſe diducunt nebulæ, & jam clarior æther
Se ſe aperit; radiis ne te, ne ſubtrahe primis:
Creſcent in validos exorta crepuſcula ſoles.
  Plurima debentur priſcis ætatibus: illæ
Naturam agreſtem & ſpiſſo velamine ſeptam
Tentarunt primum: in ſe ſuſcepere laboris
Dura rudimenta, atque operis meruere coronam
Acribus inventis: nos verſa novalia demum
Cœpimus excolere, & partim veſtigia nota
Sectati, partim auxiliis melioribus uſi,
Majorum hæredes, propriâ diteſcimus arte;
Atque avidi fundos augemus opeſque relictas.
  Sic ab Ariſtarcho ſata primitus ac Philolao,
Jam doctrina diu rudis & neglecta jacebat,
Cum ſpeculatori gratum ſubolere Polono
Cœpit, & ad ſummos rediviva aſcendit honores
Talibus auſpiciis; quam poſt Galilæus Etruſcæ
Gentis honos, cannâ primus qui ſe intulit aſtris,
Et comites vidit Jovis & nova ſidera Cœlo,
Illuſtrem aſſenſu fecit; Keplerus adauxit
Errantum vero curſu. Quo nomine dicam
Naturæ genium, Patriæ decus, ac decus ævi
Carteſium noſtri, quo ſe jactabit alumno
Gallia fœta viris, ac duplicis arte Minervæ;
Ante ſuos tacitura duces ac fulmina belli,
Quam Veri auctorem eximium, mentiſque regendæ:
Ingenio magnis nec deceſſura Pelaſgis;
Quamquam ea gens & Ariſtotelem, diumque Platona,
Pytagoramque tulit, ſatis uno Socrate dives!
Poſt hos incedunt famâ ſuper æthera noti,
Quos Pariſina ſuos Academia tempore longo
Vidit & obſtupuit, magni Caſſinus & Huygens.
Annulus huic patuit Saturni unuſque ſatelles;
Quatuor ille alios viſu deprendit acuto;
Permenſi Cœlum ac terras, tot in orbe reperta
Vulgarunt, ut jam inclareſcat fabrica Mundi.

His

His Epicureos, & quem mirare Poetam
Haud, reor, æquipares. Quæ rerum inſcitia ſuaſit.
Pro pudor! ut ſtellas majores eſſe negaret,
Et Lunæ Soliſque globos, quàm cuique videntur;
Exemplo tædæ procul apparentis abuſus?
Quin etiam Solem ſparſis per inania cœli
Seminibus flammæ quæ caſus mane coegit,
Autumat extingui noctis caligine cœca:
Tum poſt Idæos reparatum exurgere montes.
Atque, ubi contingit ſpoliari lumine Solem
Et Lunam, dubitat monſtri num cauſa ſit umbra
Corporis oppoſiti, quaſdam potius-ne latebras
Tunc ſubeant, vultumque aliquo velamine celent.
Mirum, ni credat, velut Indum vulgus in illos
Immani horrendum rictu ſævire Draconem.
Tales impietas habuit, jactatque patronos:
At pudet inſulſi commenta referre Lucreti.
Sunt tria de toto ſyſtemata cognita Mundo.
Primum conſtituit ſphæram Telluris inertem
In medio; circum jubet omnes ire Planetas,
Inter eos Phœbum, quo cætera corpora fulgent.
Abripit aſtrorum, Ptolemæo judice, turbam,
Perpetuâque trahit ſecum vertigine ab Euris
Ad Zephyros, primum dicit quod mobile, Cœlum,
Hoc ſuper axe ſuo viginti & quatuor horis
Volvitur; impensè velox, quâ dividit axem
Æquator: ſummè tardum, quâ deſinit axis;
In duplici puncto nimirum Aquilonis & Auſtri,
Interea proprius tamen eſt Fixiſque Planetiſque,
At minor, a Zephyris qui tendit motus ad Euros,
Signa ſequens; hâc quiſque ſuum variè exigit annum,
Vi propriâ cœlo præ cunctis Luna reſiſtit:
Frater enim contra dum nititur ire, diebus
Bis ſex non ſpatii plus vincit, quâm ſoror uno.
Concordes gyros, ſpatio diſtante, Planetæ
Decurrunt alii; recto nunc tramite pergunt,

Nunc

Nunc fugiunt retro, nunc ſtant atque otia ducunt.
Non tulit hanc Mundi ſpeciem Copernicus, etſi
Per populos longum dominatam, ultroque faventem
Senſibus, atque uſu ſancitam & more loquendi,
Audax, inverſo penitus rerum ordine, Solem
In centro ſtatuit; Terram, cui Luna ſatelles,
Cum reliquis circa ſolem fluitare Planetis,
Ac duplici voluit lumen ſibi quærere motu
Semper ad auroram directo: immobile cœlum
Interea, nullumque Polis cæleſtibus axem.
Non ægre hinc videas, quî nos ſpectacula fallant,
Ut, quæ volvuntur ſemper, tranquilla putentur;
Et motum credamus, ubi perfecta quies eſt.
Haud ſecus, ac portu cum ſolvit nauta relicto,
Littus abit, terræ fugiunt, urbeſque recedunt:
Ille, ſui motus imprudens, omnia ferri;
Vicinam & navim, quam dentibus anchora fundat,
Currere; ſe reſidem putat his, quibus innatat, undis.
Aſt homo deluſuſque oculis, animoque ſuperbus,
In placitum errorem pronus delabitur: ac ſe
Turpe Planetarum numerari de grege cenſet;
Et quæ non videat, tamen hæc ſibi ſidera paſci,
Quoque loco ſedet, hic Mundi conſiſtere centrum
Vult & ait. Quoties Terra inclinata recludet
Partem aliquam Cœli non viſam, ea ſurgere ſigna
Continuò; quoties elatior abdet Horizon,
Hæc eadem mergi, & ſub ſe collapſa putabit:
Quinetiam tantos ideo ferveſcere motus,
Ut ſe perpetuò ſtantem Cœlum omne ſalutet;
Ac ſibi, ceu Domino, famuletur deditus Orbis.
Tu quis homo es, qui tanta tibi? Sed perſequor orſa.
Diſcordes inter ſectas incertus & hærens,
Magnum operæ pretium & Sapientibus utile duxit,
Si miſceret utramque Ticho, vir ſanguine clarus,
A quo & conſtructam Cœli de nomine turrim
Uranies ædem, primum ætheris amphitheatrum,

Codani ſtupuit prænobilis inſula Ponti.
Ille igitur partim populari tractus ab aurâ,
Partim conſpicuâ perculſus imagine Veri,
Conceſſit Patribus Cœlum, Solemque moveri,
Non Terram; at Soli comites Terræque, Planetas
Diſtribuit: bonus ille quidem explorator Olympi,
At non ſidereæ gentis moderamine felix.
  Haud noſtrum tantas eſſet componere lites.
Nam ſeu Terra meat, ſeu planè immota quieſcit;
Seu tempeſtatum genitor luciſque diurnæ
Sol manet in centro, ſeu fert Eclipticus illum
Circulus; ac ſolidum ſeu commovet omnia cœlum,
Seu purus liquor eſt, in quo paſſim aſtra feruntur
Ut ſoles totidem, propriiſque inſtructa Planetis;
Non minus omnipotens Numen ſplendebit ubique,
Cujus inexhauſtas æquet Sapientia vires,
A quo facta ſemel, ſemper Natura regatur.

PAU-

PAULINUS CHELUCCIUS A S. JOSEPH LUCENSIS

Cler. Reg. Schol. Piarum

INTER ARCADES

TRINURUS NAVIANUS.

In Nuptiis Caroli Albani inter Arcades Cleandri & Tereſiæ Borromææ.

ECLOGA.

Corydon, Damœtas, Jolas.

Cor. Dic mihi, Damœta, quo Tityrus, aut Melibœus,
Quò tauros egit Mopſus, Thyrſiſq; capellas?
En ſummis ſolem ſuperatis montibus imæ
Excipiunt valles, ſeque undique contrahit umbra,
Nec Mèliboeus adhuc, teneris neque Tityrus agnis,
Ut ſolet, occurrunt; quanvis ego proxima vallis
Paſcua luſtrarim, collemque omnem puer Alcon.
Dam. Ah Corydon, Corydon, quanquam maturior ætas,
Barbaque candidior tibi ſint, imponere nobis
Nequicquam ſperas. Vicini ad Tybridis undam
Tu neſcis unus quodnam memorabile in Urbe
Contigit, & noſtras repleant quæ gaudia ſylvas?
Ante lupis credam pavidas colludere damas,
Aut rigidis dumis tumidos pendere racemos.
Cor. Non ita, Damœta. Triſtis mihi ab ilice cornix
Dira canat, mihi nec repetant præſepia tauri,

Am-

Ambiguis ſi mens fuerit te fallere dictis.
An neſcis ſtrepitus, ac ipſa Palilia ſponte
Me fugere, atque urbem vix conſueviſſe quotannis
Ire ſemel, quum vere novo venale per urbem
Lac fertur, toto aut ſervandus caſeus anno?
Ergo age, ſi vacat, umbroſæ ſub tegmine quercus
Hic mecum recuba pauliſper, & ordine lætos
Succeſſus memora. Mihi eris tunc alter Apollo,
Nam tibi apollineum reſonat quoque fiſtula carmen.
Dam. Magna petis, Corydon. Quanvis ego doctus Apollo,
Aut vates fierem, blandæ cui dulce canenti
Alluſere feræ, plauſit cui pendula pinus;
Haud certè poſſem ſylveſtri dicere muſâ
Quæ vidi nuper. Nam munera magna Deorum,
Non humilis veluti ſaliunca, aut vilia ruſci
Vimina, ſunt nobis tenui meditanda cicutâ.
Cor. Incipe, nec mora ſit, venit en quoque paſtor Jolas,
Ludere qui tecum calamo, & certare canendo
Gaudebit. Sæpe ille hœdos, ac ſæpe coronas
Suſtulit, atque ipſum certamine vicit Amyntam.
Dam. Felices ergo thalamos, ignemque Cleandri,
Et pulchram referens Amaryllida, cantet Jolas.
Illum egomet prima audivi ſub lumina ſolis
Carmina vicino modulantem talia campo.
Cor. Incipe tu prior, alternis mox ille ſequetur
Verſibus; ad cælum tolletis & ambo Cleandrum
Laudibus: ambo pares Amaryllida dicite cantu.
Dam. Ut ver purpurei flores, ac lenis acanthus,
Et violæ molles, & ſuave rubens hyacinthus
Pulchrius efficiunt nobis, ſenioque prioris
Temporis excuſſo, ridet formoſior annus:
Sic hilarem vultum, formam ſic puberis ævi
Undique ſylva refert, frondentis ab aggere ripæ
Ticini ut venit formoſa Amaryllis ad Urbem.
Jol. Ut decori ſunt autumno dulciſſima poma,
Cerea pruna, pyrum, pendenſque e vite racemus;
Ut-

Utque replet læto fervens vindemia colles
Clamore; & Bacchum montes; valleſque profundæ
Reſponſant circum: ſic noſtra mapalia gaudent;
Sic ipſæ horrentes cœperunt gaudia ſylvæ;
Senſerunt poſtquam veniſſe Amaryllida ſylvæ.

Dam. Qui roſeas narrare genas; qui lactea colla,
Atque hilares laudare oculos Amaryllidos optat:
Ille liguſtra prius, vel rubra corallia pinget,
Formabitque tuum prius os, Galatea; decorum.

Jol. Qui mores, Amarylli, tuos, niveumque pudorem;
Qui genus; & magnos proavos, veneranda quotannis
Ara quibus fumat; ſeu quos Mars ſtringere ferrum
Juſſit; ut arcerent patriis ab ovilibus hoſtem,
Scire cupit; citiùs vaſto quot ſydera cœlo,
Quot flores prato; aut Cereris numerabit ariſtas.

Dam. Aſpicis, ut læti ludant per gramina tauri?

Jol. Aſpicis, ut tumidæ diſtendent ubera vaccæ?

Dam. Lætitiâ tauri exultant; quod digna Cleandro
Uxor adeſt: Amaryllis adeſt; formoſa Amaryllis,

Jol. Ubera lacte ferunt vaccæ diſtenta; quod ipſi
Adventu ſenſere greges Amaryllidis ignes.

Dam. O felix una ante alias Amaryllis: amori
Nam Deus, ipſe Deus, nec me præſagia fallunt;
Indulſit tanto; corylus ſit teſtis, & ipſæ
Sæpe mihi viſæ motare cacumina quercus.

Jol. Fortunata nimis! Tibi jam non invidet una
Nympharum: Phylliſque, Neæraque, & ipſa Lycoris
Felicem te ſæpe vocant;ronteſque, ſpecuſque,
Felicem pariter reſonant Amaryllida ſylvæ.

Dam. Non equidem fallunt ſylvæ, fonteſque: Cleander
Montibus in noſtris unus ſupereminet omnes.
Quantum juniperos; vel humi naſcentia fraga
Aeriæ ſuperant platani, proceraque pinus:

Jol. Qui faciles adeò mores, & dulcius hyblâ
Diceret ingenium? Quamvis mihi non leve carmen
Reddere ſeptenis didiciſſet fiſtula cannis,

Aut

Aut Linus, aut Orpheus eſſem, vel montivagus Pan,
Haud poſſem tantis laudes æquare cicutis.
Dam. Alnani, Magni Alnani de ſanguine, noſtras
Nec fugit ille caſas, nec paſtoralia tecta
Contemnit: quamquam nos tantum cedimus illi,
Ilicibus quantum ſiler, aut viburna cupreſſis.
Jol. Ambo pares ergo, & concordes vivite, quum vos
Idem amor, & decus, & ſimilis ſociaverit ætas.
Dam. Vivite concordes; creſcat genialis & ardor,
Æſtivo quantum Cancri ſub ſydere fervet
Siccus ager, pingui aut quantum calet ignis olivo.
Jol. O ubi formoſus, Patrique ſimillimus ipſi
Naſcetur puer! Armentis quæ jubila noſtris!
Florebit nemus, ac ſternent cunabula flores:
Dicite tunc montes mea gaudia, dicite ſylvæ.
Dam. O ubi candidior nive, cerâ & mollior ipſâ
Maternis puer ille cubet reſupinus in ulnis.
Ac tenero incipiat riſu cognoſcere Matrem:
Dicite tunc montes mea gaudia, dicite ſylvæ.
Jol. Fortunate puer, primas ubi ſolvere voces
Cœperis, & magnum nutrix, ac ſedula Mater.
Te doceant paulatim Alnani reddere Nomen:
Dicite tunc montes mea gaudia, dicite ſylvæ.
Dam. Fortunate puer, quum purpureus Poliarcon,
Et noſter, Cryſalgus, amor munuſcula ſolvent
Prima tibi, Alnani aut ſiſtent ante ora Parentis:
Dicite tunc montes mea gaudia, dicite ſylvæ.
Cor. O quàm læta meis ſunt hæc præſagia votis!
Annuat ut Cælum, feſtis altaria ſpargam
Frondibus, & candens, quam nuper ab ubere matris
Amovi, ſtabit ſacras mihi bucula ad aras.
Jol. Ipſe quoque, Alnanum longos ut ſydera in annos
Servent, utque diu Alnani Gens aurea terris
Imperet, e gregibus taurum, puo pinguior alter
Non fuit, & curvo nondum ſudavit aratro,
Dona feram, tauroque duos addam inſuper hœdos,

Dam.

Digitized by Google

Dam. Tanta mihi haud ſpondet paupertas invida : bini
Sunt mihi capreoli, errabant qui valle propinquâ,
Hi munus venient ; tremulique coagula lactis
Addam : nec deerunt geminæ, mea cura, palumbes,
Cor. Ad fontem jam tempus oves compellere. Sparſum
Coge pecus, puer. En nos ipſa breviſſima ſolis
Umbra monet paſtos ad ſepta reducere tauros.
Ite domum poti, ſævit calor, ite juvenci.

Alexandro Cardinali Albano inter Arcades Accl. Cryſalgo, poſt gravem, diuturnamque oculorum ęgritudinem in Caſtro Gandulphi prope Albam confirmandæ valetudinis cauſa commoranti.

ECLOGA.

Alcon, & Tityrus.

Alc. Tityre, tu molli recubans reſupinus in herba
Otia lentus agis, dulcis nec fiſtula mulcet
Tauros, nec jaculo dextram, levibuſque ſagittis
Exercere juvat, curſuque laceſſere Mœrin ?
Inſolitus qui torpor habet ? pulcherrimus annus
Jam ridet, nemora, atque omnis jam parturit arbor,
Et placido cantus invitat ſylva ſuſurro.
Tit. Falleris, hac vacuum ſi me ceſſare ſub umbra
Fortè putas, Alcon. Si neſcis, otia ſemper
Fugimus, atque animus, ceſſat quum dextra, laborat.
Alc. Sed tacitum quæ cura premit ? num perfidus ullam
Fur caulis ſubduxit ovem ? aut formoſa Lycoris
Sollicitat, facies ſeu Phyllidis igne perurit ?
Tit. Hic mecum, quoniam brevior ſe porrigit umbra
Arboribus, latèque omnis fert ſemita ſolem,
Pauliſper requieſce : meos tibi dicet amores
Fiſtula, & alterno reſonabunt carmine valles.

Alc. Incipe quicquid habes. Niſi fallor imagine rerum;
Et nemori parcunt Zephyri, & balatibus agni,
Gramina deſtituunt tauri, cythiſumque capellæ,
Et dudum pecus omne cupit te audire canentem,
Tit. Ah pecus infelix (utinam tibi falſus Apollo
Hæc moneam) quis vicino te ſervet ab æſtu?
Aut mihi cœlorum motus, lunæque labores,
Aſtrorumque vias fruſtra monſtravit Iolas,
Aut duros pecori caſus, plantiſque, ſatiſque
Triſtia præmoneo, nec fauſtum vitibus annum.
Alc. Quod pecori fatum, quod tam male ſydus amicum
Triſte rubens adeò nobis infanda minatur?
Dic age, namque potes, quippe & tu ſydera noſti.
Tit. Heu vanas ſpes agrorum, ſterileſque labores
Agricolæ (flens ipſe mihi narrabat Iolas)
Saturno quoties junctum dominabitur anno
Ambuſti Martis ſydus: perferre calores
Quis poſſit tantos, uſtique incendia campi?
Areſcent fontes, ac deficientia ripas
Flumina deſtituent, ſicco dum ferrea cælo
Nubila conſiſtunt, & terras Sirius urit.
Alc. Heu quæ dira canis mihi Tityre: ab ilice nobis
Nec pejora quidem portenderet improba cornix.
Ergo nec duras inter ſpineta juvenci
Decerpent miſeri frondes, nec deſinet æſtus
Exiguum de rupe cava deducere rivum,
Exuſtoſque ſiti videam cum matribus hædos?
Tit. Armenti te vexat amor, pavidumque futuri
Semper habent tauri, atque errantes montibus agni.
At meſſor culmos arentes, vinitor uvas
Damnabit lacrymans, ſævus quas Caurus, & Auſter
Siccarit, tenero erumpit dum cortice germen.
Alc. Tantane ventorum rabies? miſereſcite venti.
Alter ab hoc annus madidus, creberque procellis
Corrupit ſtipulas, & perdidit humida fruges
Area, nec dulces autumnus contudit uvas.

Si Caurus nunc urat agros; ſi peſſimus Auſter
Arboribus noceat, baccas, lapidoſaque corna
Cogemur legere, atque excuſſa vivere quercu.
Tit. Dii forſan meliora dabunt, faciemque malignam
Aſtrorum in melius vertent, namque omnia poſſunt.
Ipſis auſpicibus quoties tibi largior imber
Demiſſus cælo ſiccas implevit ariſtas?
Ni faveant, fruſtra plenis lætabere culmis,
Fruſtraque optatas expectent horrea meſſes.
Africus exurit campos, ipſoque colono
Spectante, intereunt ſegetes, ac vitifer annus.
Alc. Dona feram Superis, Superos ſi munera placant;
Candidior lacte, atque ingenti corpore taurus
Eſt mihi, qui nullas invertit vomere glebas:
Sunt agni pingues, ſunt & lectiſſima vina:
Hæc aris ergo ſtatuam, magnæque quotannis
Vota feram Matri, urenti ne pampinus Euro
Decidat, aut fruſtra flavis deſudet ariſtis
Meſſor, neu ſiccis preſſentur & ubera vaccis
Tit. Armentis tu fauſta, boumque laboribus, Alcon,
Vota paras: utinam votis bonus annuat æther.
Nos alius tamen urit amor, majoraque vota
Sollicitant. Cryſalgus amor, mea maxima cura
Cryſalgus, cui ſæpe Deos in vota vocavi,
Sæpe coronatas cæſus caper imbuit aras.
Alc. Cui non dilectus Cryſalgus? flumina nymphæ,
Ulmus amat vites, amat alba & populus undam:
Omnia Cryſalgum; fluvii, valleſque profundæ,
Cryſalgum intonſi tollunt ad nubila montes.
Tit. Ille tamen primus combuſti incommoda cœli
Expertus, multos gemuit mala ſydera menſes;
Atque diu infelix jacuit; nam peſſimus humor
Lumina corripuit lacrymantia, triſtis & omnem
Abſtulit umbra diem; nec novit culmine motas
Quercus, nec potuit vultus agnoſcere matris.
Alc. Infelix Juvenis! Quid tam crudelia paſſus?

Tit. Dum jacuit, mihi nulla unquam viſa ore ſereno
Ire dies, nulla excepit tum gaudia pectus.
Quin & ſi luctum ſolari carmine vellem,
Nullum carmen erat, ſeu quæ nec Mævius ipſe
Feciſſet: rauco ſtridebat fiſtula buxo.
Alc. Forſitan hinc toties mœſtos ad paſcua tauros
Mirabar tunc ire meos. Senſere jacentem
Ipſæ Cryſalgum pecudes; nec lacteus agnus
Ubera quæſivit, nec amabat capra ſalictum.
Tit. Per nemora ah quoties ſolus, perque ardua montis
Hæc errabundus Superos in vota vocabam:
Parcite, nil proſunt oculis collyria lippis:
Parcite, Cryſalgo ſolem jam reddite, Divi.
Paſtores Cryſalgus amat, nec carmina ſpernit.
Paſtorum decus ille, Urbis ſpes maxima noſtræ.
Alc. Credo equidem, nec vana fides, ingentibus illum
Sydera ſervarunt auſis, melioraque ſpondent,
Vos coryli teſtes, vos antra, ſpecuſque ſonantes.
Tit. Ut caſiæ molles, tenero ut lactentia culmo
Frumenta, aut cera æſtivis ſub ſolibus, illi
Sic facile ingenium. At lolium, tribulique nocentes
Eſte procul: nam ſæpe nocet mala frugibus herba.
Alc. Dulcior eſt hyblâ, formavit & aurea morum
Temperies animum. Lædat ne plurimus anguis
Qui campo latitat, florenteſque inficit herbas,
Dii prohibete: omnemque hinc longe avertite peſtem.
Tit. O ubi maturum meritis, & honoribus auctum
Spectabunt Sylvæ! Armentis quæ jubila noſtris!
Florebunt valles, nobis & ovilia creſcent.
Alc. O ubi jam Tyrio redimitus murice frontem
Alnani curas longævi, animumque levabit!
Quis tum Paſtorum cantus, & gaudia dicat?
Tit. Jam ſatis eſt, Alcon: creſcunt de montibus umbræ,
Noſque domum jam cura gregis vocat. Altera tantas
Lux referet laudes: nigræ quum vellera lanæ
Purpura mutarit, paulò majora canemus.

JO.

JO: ANTONIUS VULPIUS PATAVINUS

INTER ARCADES

ULIPIUS GRYNÆJUS.

Navigationem deteſtatur.

ELEGIA.

QUi primus tuto ſolvit de litore puppim,
Contemnens avidi multa pericla maris;
Primus & ignotis commiſit carbaſa ventis
Non certe noſtri ſanguinis ille fuit.
Sed ferus, & rabidæ nutritus lacte leænæ;
Qui poſſet ſcopulos vincere duritie.
Hinc leti patefacta via eſt: hinc plurima ſemper
Oceanus tumidis corpora volvit aquis.
Tunc peperit vigiles damnoſa pecunia curas,
Prædaque paullatim quodlibet auſa nefas.
Num tanti eſt, quæſo, pelagi cognoſcere Nymphas,
Et Nerei mutum ſollicitare pecus,
Dormiat ut gelido conjux mæſtiſſima lecto,
Et fleat immemoris triſtia facta viri?
O miſer, invito quiſquis diſcedit Amore,
Nec patitur blandas pondus habere preces.
Illum perſequitur pœnis Rhamnuſia virgo,
Admonitus magnos ut ſciat eſſe deos.
Nam modo Threïcio ſtrident Aquilone rudentes,
Interdum e Libyca tollitur Auſter humo.
Jam Zephyrus madidas a veſpere concutit alas:
Jam tu Memnonias deſeris Eure domos.
Tunc fruſtra cupit in patriis conſiſtere terris
Inque ſinu dominæ claudere poſſe dies.

Quid proſunt merces? quid pondera divitis auri?
Aut quid Erythræis concha petita vadis?
Omnia fallaci debentur munera ponto.
I nunc, atque malas congere divitias.
Ipſe autem fluctu in medio verſatur avarus,
Et refugo ſpumas naufragus ore vomit.
Nonne fuit ſatius glebas moviſſe paternas,
Cogentem validos ad juga curva boves?
Nonne fuit ſatius, quam fuſcos pergere ad Indos,
Ante ſuos lætum conſenuiſſe Lares?
Et celebrare focum, & pueris antiqua referre
Tempora, & anguſta delituiſſe caſa?
Et tandem lacrymas inter, gemituſque ſuorum
Deficere, & coram verba ſuprema loqui?
Hic ſaltem vili texiſſet membra ſepulchro,
Quæ nunc alterno gurgite pulſa natant.
Placatique pio requieſſent funere manes,
Tranſiſſet Stygios & levis umbra lacus.
O valeant ſilvæ potius, pereantque ſecures,
Quam ſcindat liquidas ulla carina vias.
Aut abeant peſſum virides, niveique lapilli,
Quos vagus extremo quærit in orbe labor.
Hos olim veteres ignoravere puellæ;
Et placuit primis forma ſine arte viris;
Quid nocuit crines collo ſparſiſſe ſolutos?
Inſignem aut gemmis non habuiſſe manum?
Tunc teneros nexis velabant frondibus artus;
Ducebantque hilares brachia nuda choros.
Et nondum cæſi Neptuno viſcera tauri
Ponebat, dubium nauta ſecutus iter.
Sed quiſque agreſtes Faunos, Dryadaſque colebant
Aut lacte, aut puris ruſtica turba favis.
Tunc ego vixiſſem, nec me tam ſera tuliſſent
Sæcula! tunc ſolum vivere dulce fuit.
At vos Æolii fratres, hiemeſque ſonantes,
Saxaque in audaces perniciosa rates;

Tu-

Tuque o Scylla rapax, tuque o violenta Charybdi,
Et ſi quos alios continet unda metus;
Præmoneo; fruſtra cupitis mea vela videre.
Me retinent villæ, cultaque rura placent.
Hic æſtate legam flaventes meſſor ariſtas,
Autumnoque premam pinguia muſta pede.
Hic poſſim ſtabulis tardas expellere vaccas,
Et revocem ſaturas ipſe magiſter oves.
Interea jactas aliquis mihi navita merces
Narret & adverſo lintea rupta Noto.
Credam ego præcipiti differri turbine puppes,
Horridaque immenſo monſtra natare mari:
Humenteſque Hyadas pluvio conſurgere cœlo;
Dum ſedeam patrium credulus ante focum.
Hoc probat Eurynome, tacita quæ noctis in umbra
Medoaci rapidas carmine ſiſtit aquas.
Quam Venus, & dulces caſta cum Pallade Muſæ
Certatim donis excoluere ſuis.
Si tamen inſtabilem jubeat me ſcandere navem,
Et ſecum ardentes tendere ad Æthiopas:
Terra vale, dicam: quid enim? parere neceſſe eſt:
Jam piger, e noſtro pectore cede, timor.
At potius mihi natali tellure ſepulto
Ipſa ferat triſtes munus in exequias.

Ruſticam tranquillamque vitam optat.

ELEGIA.

SI Fortuna mihi, vultu blandita ſereno,
Deferat arbitrii vela regenda ſui;
Non ego divitiis optem ſuperare beatos,
Libera non Indi ſceptra tenere maris.
Invidiam fugiſſe velim, curiſque ſolutus
Vertere privato jugera pauca bove.

Et modo paſtorum calamos æquare canendo,
  Et modo gramineo flectere membra toro.
Aſpiciam preſſo ſurgentes vomere glæbas
  Quum properat durum fortis arator opus.
Nec pigeat medio ſpicas legiſſe calore,
  Nec pleno autumni munera ferre ſinu.
Et religem ſectos agreſti more maniplos.
  Hæc fuerat priſcis gloria conſulibus.
Illic non pudeat, deſit ſi forte miniſter,
  Condita ſordenti promere vina cado.
Illic, dum puro niteat mihi menſa ſalino,
  Cœnem fictilibus dulce libenter olus.
Ante focum ſedeam turba vallatus amica,
  Frigus, & hibernas fallere doctus aquas.
Villica lanifico deducat ſtamina fuſo,
  Sopitaque fluant mollia penſa manu.
Tunc placeat largo crateras vertere Baccho
  Omnibus, & regem ducere ſorte meri.
Felices, quibus iſta licent: quos ambitus urbis
  Non tenet, aut multo limina trita pede!
Hos nec ſollicitos auri male ſana libido,
  Nec tumidum ſalſis fluctibus æquor habet.
Ignorant cædes, ignorant Martia caſtra,
  Quæque ſonant rauco vendita verba foro.
Hi commune trahunt cum diis cæleſtibus ævum.
  Si tamen Admeti pavit Apollo greges.
Et ſoror occultos nemorum Dictynna receſſus
  Incolit, errantes uſque ſecuta feras.
Tu quoque flava Ceres, parci tutela coloni,
  Temporaque incinctus vite, Bimater, ades.
Capripedes adſunt Fauni, Satyrique bicornes,
  Et Nymphæ Arcadio grata rapina deo.
Quique ſolet vigiles hortis defendere fures
  Turgidus, & ſæva non modo falce minax.
Terminus accedit dubii finitor agelli,
  Et lactis niveo culta liquore Pales.

DI-

Dicitur & volucer villas habitare Cupido,
Herboſoque vagum paſcere colle pecus.
Dire puer, nigro quid fœda mapalia fumo,
Quid miſeri agricolæ juncea tecta ſubis?
Hic labor inſanas depellit pectore curas;
Otia nec blandis artibus apta vides.
Hic tenuis victus, hic uſti ſolibus artus:
Hic riget æſtivo pulvere denſa coma.
Nil agis: auratas alio converte ſagittas,
Cordaque deliciis pervia quære tuis.
Mille patent aditus, ubi cultu forma paratur,
Torquet ubi lautos femina comta viros;
Et laxant animos epulæ, rebuſque ſecundis
Diſcurrit media candidus urbe Jocus.
Me ſine ſecuris tranquillum vivere ſilvis,
Dum ferat extremos curva ſenecta dies.
Ah memini, quum plaga recens, rudibuſque medullis
Ignotus nitido venit ab ore furor;
Pertulerim quantos inſomnis nocte dolores,
Quotque pererratæ ſint mihi luce viæ.
Mitius incluſos urebant æra Perilli:
Sævit montani mitior ira lupi;
Quam tua letifero cuſpis medicata veneno.
Heu nimium noſtri ſanguinis illa bibit.
Ad laqueos mage cautus ero: quæ retia fugit,
Longius inſidias provida ſentit avis.
Sit mihi, Pegaſides, veſtros haurire liquores,
Et de Pierio carpere ſerta jugo.
Nec terrent dumeta, & inhoſpita luſtra ferarum,
Dum fugiat ſacro carmine pulſus Amor.
O utinam talem detur deducere vitam,
Et moveant faciles vota modeſta deos!
Interea Spes alma ſedet, meliuſque futurum
Cras, ait; & ridens craſtina fata manet.

Sub

Sub effigie Aloyſii Alamanni Florentini, Poetæ nobiliſſimi.

DUm frumenta Ceres, vites dum Bacchus amabit,
Paxque feret pleno mitia poma ſinu;
O Alamanne, tuis veniet nova gratia Muſis,
Quem rapuit Tuſcis Gallia litoribus.

Poetarum genus duplex.

SI quemquam frugi fingat pia Muſa poetam,
Qui poſſit pueris virginibuſque legi;
Nec vitiet mentes, caſtis nec moribus obſit,
Antiqui referens dulcia furta Jovis;
Cui pudor, & probitas, cui ſit ſapientia cordi;
Carmine qui fortes tollat ad aſtra viros;
Huic merito faveant, hunc reges laudibus ornent,
Et jubeant pleno munera ferre ſinu.
Quid mihi cum blando, quid cum lenone poeta?
Quæ tamen, heu, noſtro tempore turba frequens.
Hos certe, quam te, bellorum ſcriptor Homere,
Maximus urbe ſua mallet abire Plato.

Subſcribendum Imagini Margaritæ Moſchinæ Veronenſis, Uxoris cariſſimæ, feminæ lectiſſimæ.

HÆc eſt illa toro mecum ſociata jugali
Margarita, meæ maxima pars animæ.
Protulit hanc nobis Atheſi circumflua Tellus,
Dulcis ubi clari cura parentis erat.
Huic oculos finxit Paphie, linguam aurea Pitho,
Inceſſum Charites, docta Minerva manus.
Huic vocem Aonides, mores matrona Tonantis
Compoſuit: culta eſt, nava, pudica, proba.

Sed

Sed numquam peperit: ne noſter ſcilicet ipſi
  Debitus, in ſobolem diſtraheretur amor.

Sacra quædam Virgo Sponſa Chriſti fortunam ſuam ita ſibi ipſa gratulatur.

CEllula, quam poſitis habitat Pax candida curis;
  Cellula, quæ flammæ conſcia ſola meæ es;
Non tibi prætulerim Phrygiis innixa columnis
  Atria, non toto quidquid in orbe placet.
Tu mihi virginei cuſtos inventa pudoris:
  Hic Sponſi optato perfruor alloquio.

Ad Lycidam. Amori tempeſtive obſiſtendum.

AGgere quæ modico potuit prius unda repelli,
  Obrueret ſubitis ne ſata vorticibus;
Poſtquam ſe medios tumefacta effudit in agros,
  Dum properat ſeram ferre colonus opem,
Heu facinus! turpi late premit omnia limo;
  Et vix, qua ſenſim defluat, ulla via eſt.
Sic dum parvus Amor circa tua pectora ludit,
  Inſidiis quærens, vulneribuſque locum,
Effugiſſe dolos, volucreſque arcere ſagittas
  Res fuerit, Lycida, non operoſa tibi.
At fruſtra ſævi detrectes regna tyranni,
  Si ponat capta victor in arce pedem.
Ne mitem tibi finge deum: prohibere ruentem
  Una ſalus: domitis parcere neſcit Amor.

Ad Nearchum, ſingulari forma, & præclara indole adoleſcentem.

O Cui Pieridum, Charitumque favore, Nearche,
  Corporis; atque animi contigit omne decus;
Quum tibi ſit facies, qualem ſibi malit Adonis,
  Concedis caſto non tamen Hippolyto.

Hinc

Hinc de te certant Venus, atque innupta Diana:
  Utraque ſed vano fervet amore dea.
Nempe tibi ante oculos, juvenis formoſa pudici
  Verſantur, calidis corpora trita rotis;
Et qui, dum tenera tractat venabula dextra,
  Concidit obliquo dente peremtus apri.
Quodque ſuis nequeant avertere triſtia fata,
  Nec Dictynna tibi, nec Cytherea placet.
Sola placet, carum quæ per mare ſervat Ulixem,
  Vertice de ſummi nata puella Jovis.

Ad Joannem Franciſcum Barbadicum, inter Arcades Ariſtalgum, Epiſcopum Brixienſem S. R. E. Cardinalem creatum.

DEbita quod tandem te, Barbadice, locarit
  Romanos inter purpura ſacra Patres,
Jam populo magnus, fortunatuſque videris:
  Tamquam ſit virtus pectoris aucta tui.
Aut contemtus opum, vel Muſis æqua voluntas
  Creverit, aut ſanctæ religionis amor.
Sed nobis, quos non fallaci in cortice rerum
  Detinet ambiguis vana figura notis,
Viſus eras pridem felix: te nempe locarant
  Inter præclaros maxima facta viros.

De Cadavere incorrupto Venerabilis Dei Servi Gregorii Barbadici Cardinalis, quum e veteri ſepulcro in novum transferretur Anno MDCCXXV.

IMmerito, amiſſi flêſti, Grex, fata Magiſtri:
  Vivit: habet placidus lumina feſſa ſopor,
Ora vides nullo mortis corrupta veneno,
  Intactaſque manus, & ſine labe ſinum.

Quod

Quod rigeat tamen ille, nec auras pectore ducat,
  Noſtra putas ideo verba carere fide?
Sic riguit quondam, ſic vultu immobilis hæſit;
  Sic ſe corporeis ſenſibus eripuit,
Quum ſacer ingratæ fugeret commercia terræ
  Gaudens ætherio ſpiritus hoſpitio.

Helena ſeneſcens.

Europæ, atque Aſiæ peſtis, quam Troïus hoſpes
  Abduxit caſto conjugis e thalamo:
Quam propter ſævis arſerunt Pergama flammis,
  Et penitus Priami concidit alta domus:
Ut primum in ſpeculo ſpoliatam flore juventæ
  Conſpexit faciem, pallidulaſque genas;
Illa ego ſum tanto, dixit, repetita labore?
  Illa ego, quam vellet detinuiſſe Paris?
O male conſumti proceres! male perdite ſanguis!
  O Danai, pugnæ cauſſa pudenda fuit.
Quo fugit nitor, heu, ſolitus, Chariteſque, Venuſque?
  Denique, formoſæ quid ſupereſt Helenes?
Sic ait, & canos vellens a ſtirpe capillos
  Ingemuit, raris non ſine lacrimulis.

Ad fontem, ut ſibi Phyllidis imaginem referat.

O Fons, qui puros volvens e rupe liquores,
  Per nemus arguto laberis uſque ſono;
Deliciæ Nympharum, & capripedum Faunorum,
  Quo levat æſtivam ſæpe Diana ſitim;
Sic tibi cæleſtes defendat populus ignes,
  Auraque vicinis ludat in arboribus:
Sic te nec paſtæ poſſint violare capellæ,
  Ulla nec immundo vellere turbet ovis;
Blanda refer, quæſo, caræ mihi Phyllidis ora.
  Illa meum ſævo torret amore jecur.

Hoc

Hoc ſolet ad ſpeculum flavos diſponere crines,
Et nitidum vario cingere flore caput.
Quid precor? inſtabilem ſecum rapit unda figuram,
Torſit ut a ripis noſtra puella pedes.
At ſemel indomitis poſtquam me fixit ocellis,
Æternum memori corde recepta manet.

Epitaphium puellæ venatricis.

QUiſquis amas, noſtrum lacrimis adſperge ſepulcrum;
Sic tibi manſueti ſint in amore dei,
Illa ego venandi ſtudio notiſſima Thisbe,
Candida quæ placui mille puella procis;
Dum vagor, & leporem canibus, jaculoque fatigo,
Vipereo cecidi ſaucia dente pedem.
Hoc me compoſitam tumulo flevere parentes;
Hic me paſtorum gens pia lacte colit.
Et Corydon, veteres cui vivunt pectore flammæ,
Alloquitur cineres, vanaque verba jacit.
Qui ſeros utinam poſſit ſpectare nepotes,
Pinguiaque innumero molliat arva bove.
Tu quoque, ſi miſera turbaris clade, viator,
Æqua tuis votis numina ſemper habe:

De Melampi fidiſſimi canis interitu.

THeſtili, coge pecus: non hac dormire ſub ulmo,
Dum vigilant fures, invida fata ſinunt.
Occidit ille gregis felix tutela Melampus,
Latrantem rapidi quem tremuere lupi.
Vos quoque in obſcuros nemorum procedere ſaltus
Parcite oves; cuſtos dentibus acer abeſt.
Nunc decet hibernas inſomnem ducere noctes.
O Lycida; inſidiis umbra maligna favet.
Ille minax rictu, villiſque horrentibus audax,
Egit nocturnas pervigil excubias.

Au-

Auribus exiguos captantem ſæpe ſuſurros
Nulla tamen vano moverat aura ſono.
At ſi quis culti ſæpem tentaverat horti,
Protinus ingenti voce monebat herum.
Nunc miſer, heu, vacui per campos errat Averni,
Tollentemque minas Cerberus ipſe pavet.
Sed bene conſuluit noſtro Fortuna periclo,
Quod catulos utero pulchra Lyciſca gerit
Extincti de ſtirpe patris; qui fenore multo
Hinc abigant turpes fida caterva feras.
Interea, totum ne raptor perdat ovile,
Candida, Faune, tuos imbuet agna focos.

CAROLUS ROTIUS FLORENTINUS
Soc. Jeſu

INTER ARCADES

ZENOPHANES LYCIUS.

Laus Cereris.

ELEGIA.

DIva potens frugum, fœcundæ pacis alumna,
Primaque munificas inter habenda Deas:
Seu modo per campos Ennæ Trinacridos erras
Nectens formosâ ſpicea ſerta manu;
Seu tacitos præbes teneris ſementibus auctus,
Perque ſuos meſſem provehis articulos;
Huc ades, o ſanctos ſpicis redimita capillos,
Huc ades alato vecta dracone Ceres.
Felix qui preſſo terram dimovit aratro
Primus, inexpertas edocuitque boves!

Et

Et lætas idem maturo tempore meſſes
  Vidit in apricis luxuriare jugis.
Pace tua, Saturne pater, mihi dicere fas ſit,
  (Namque ego non ullo vera pudore tegam)
Mella licet duræ ſudarent roſcida quercus,
  Plenaque ſecuris ubera ferret ovis,
Aſſyriumque daret vulgo rubus aſper amomum;
  Infelix hominum, te duce, vita fuit.
Heu male conſultum! noſtri pars maxima deerat
  Victus, humanis uſibus apta Ceres.
Fac toſtæ fruges abſint: herere videbis
  Convivam, & mœſtis lancibus ingemere;
Non mulli caput arridet, non ilia rhombi,
  Miſſaque Lucrinis oſtrea rara vadis:
Abnuit in Marſis latratum ſaltubus aprum,
  Plumoſi & prædas abnuit aucupii.
Quin etiam ſupera Ganymedes lapſus ab arce
  Si ferat imperio prandia miſſa Jovis,
Scilicet hærebo; delataque dona peroſus,
  Nec tanti ducam vertere ad illa manum.
At contra ſi ſancta Ceres convivia nobis
  Inſtruat, & largas læta miniſtret opes,
Tunc ego dux, mileſque bonus, tunc ſtrenuus arma
  Expedio, & forti mente, quod inſtat, ago.
Jam nec cœleſtum menſas, epulaſque requiro:
  Quidquid habes; habeas, Juppiter ipſe, tibi.
Sit mihi cum cynara vel res in paupere menſa,
  Cum Cerere, & cynara prandia ducta placent.
Allia vel ponas Lyrico damnata Poetæ,
  Allia cum Cereris munere juncta probem:
Nec me pœniteat lacrimoſam invadere cœpam,
  Si modo mi lacrymas condiat alma Ceres.
Quod ſi juglandeſque nuces, & mitia poma,
  Uvaque Telegoni nata ſub aggeribus.
Ingratæque olim quem preſſit Tityrus urbi,
  Caſeus in promtu ſit mihi, Cæſar ero.

Scilicet hæc Cereris laus eſt, vulgaria quamvis
Apponas, rari cuncta ſaporis habes.
Quodiibet adjungas olli, conſpirat amice,
Suavis & exſiſtit tertius inde ſapor.
Non male reſpondet volucris criſtata palato,
Et totam ex facili, ſi modo ponis, edo.
At ſi mî totis volucris criſtata diebus
Occinat, obſcenas illa erit inter aves.
O bene! quod Cereris ſubeunt faſtidia nunquam;
Ex æquo quavis luce probanda venit.
Non illam toto Neſtor faſtidiit ævo;
Tithonuſque annis fractus edebat adhuc.
Quod ſi faſtidis Cerealia dona, caveto:
Nam febris, aut vitium gutturis illud erit.
Qui refugit Cererem, ſequiturque obſonia ſolum,
In media jubeo vivere Barbaria:
Si me convivam precibus vocet uſque, vel ipſa
Propoſita Crœſi conditione, negem.
Malim ego rixantum fieri conviva luporum
Horrendæ procul in rupibus Hæmoniæ.
Malim & Tartarei fieri conviva Moloſſi
Ad pigra Cocyti ſtagna, nigramque domum;
Vatis triticeam, quamvis ſit ferreus, offam
Fertur gutturibus corripuiſſe tribus.
Tollite barbaricum morem: ſic prandia dira
Informes Lapithæ Nubigenæque trahunt;
Tunc ſubverſis gliſcens diſcordia menſis
Fregit in immeritum pocula Pirithoum;
Fleviſti & longum ſciſsâ mœſtiſſima pallâ
Raptata indignis, Hippodamia, comis.
Sic & Trinacrio immanis Polyphemus in antro
Ejectat crudas ore fluente dapes:
Antiphateſque ferox ſocios cœnatus Ulyſſei
Infamat priſci litora ſæva Lami.
At pius Æneas olim, & Trojana juventus,
Ne carnem hirſuti more leonis edat.

Pugnat triticeos convellere dentibus orbes,
Annoſis ducens prandia fragminibus.
Sed bene, quod Cereris non te, generoſa juventus,
Pœnitet: hinc vires, hinc animoſque cape.
His epulis crevere olim forteſque Camilli,
Scaurique, & Martis fulmina Scipiadæ;
Sic & laudati virtus intonſa Catonis
Crevit ſupremis æmula Cælitibus.
Quin etiam ſævus, ne ſola domeſtica tangam,
Hannibal Auſoniis non levis horror agris,
Et Cerere, & veteri cautes perrupit aceto;
Sic memini antiquo me legere in lapide.
Ergo agite, & magnæ complexi munera Divæ,
Eſte viri, & Latiæ conſulite hiſtoriæ.
Proh ſuperi, quam fervet opus! jam tertius orbis
Ducitur; agnoſco Numen adeſſe Deæ.
Heus pueri menſam plenis ſupplete caniſtris;
Parcentes poſſum non ego ferre manus.
Jam ſatis eſt, pueri: viden' ut Ceres optima circum
In Samiis niteat candida fictilibus?
Illi non humerus Pelopis contendat eburnus,
Cynthia non albis lucida quadrijugis;
Non & reginæ Junonis brachia certent,
Aut Thetidis nivei per vada ſalſa pedes.
Quid quod, & in ſcopulis ceu ſpongia nata marinis,
Intus hiat latis rara foraminibus?
Et gravitate carens, tenuique ſimillima nubi,
In morem offenſæ tota tumeſcit aquæ.
Non hæc Teuthonicæ, non hæc eſt gloria dextræ,
Artificem Divæ nempe ego noſco manum.
Ipſa manu lentas exercuit horrida maſſas,
Ipſa ſuperfusâ Diva ſubegit aquâ;
Ipſa & fermenti vim totos ſparſit in artus,
Et niveas juſto torruit igne dapes.
Non ego falſa loquor; toſta de fruge remiſſus
Artificem, quovis judice, prodit odor.

Iſte

Iſte odor eſt, Cereris quem veſtis ſancta remittit,
Iſte eſt, cœnantem quo beat illa Jovem.
Hoc & odore olim Celei miſerata laborem,
Triptolemum in cunis ſuſcitat exanimum.
Et quiſquam, ambroſios cui Diva exſpirat odores,
Suſtinet externas quærere delicias?
Ah valeat qui mane novo jejunia ſolvens
Neſcio qua nigrâ proluit ora dape.
Quis furor in noſtros glandes inducere mores,
Et ritu priſcæ vivere barbariæ?
Sanctaque Eleuſinæ corrumpere munera matris?
Ah ſapite & tantum vos prohibete nefas.
Damnatas Cereri, juvenes, extrudite glandes:
Non ſua corrumpi vult bona ſancta Ceres.
Orbiculoſque, rotaſque, & iniquo pondere quadras
Excutite; & veſtris pellite liminibus.
Tum ne forte malæ ſuperent veſtigia noxæ,
Et vetus e capſa ſpiret inuſtus odor,
Inceſtum ſuffite locum: ter ſulphure vivo
Tangite, ter lympha ſpargite fluminea;
In quem porro uſum damnatas vertere merces
Præſtet, id ipſa meo vos monet ore Ceres.
Vidiſtiſne ſtrabonum aliquem de ſanguine, cujus
Tellus obſtruxit patria luminibus?
Ligneus eſt, rigidiſque miſer vix oſſibus hærens
Ægram pallidulo vix tenet ore animam;
Ut pius eſt, primiſque Deam veneratus ab annis,
Unde ſibi vires duxit, & ingenium,
Devotas Cereri merces libaverit idem,
Placatam vobis reddideritque Deam.
Interea propius, juvenes, accedite; certâ
Vult vos conſtringi relligione Ceres.
Sed vos præcipue, quos docta protegit umbra
Arbor diffuſis Porphyriana comis,
Plena coronatis Cerealia dona caniſtris
Ferte citi, atque omnes tangite utraque manu:

Tum me quiſque volo præeuntem in verba ſequatur ;
  In quam jurandum eſt formula talis erit :
Donec erunt toſtæ fruges Cereriſque beata
  Dona , & compreſſi copia lactis erit ,
Non mihi mane novo fumabit ahenea turris ,
  Et ſubeant labris pocula nigra meis .
Nec , ſi me quiſquam precibus roget uſque profuſis ;
  Suſtineam nigra polluere ora dape .
Dico ſacramentum : quod ſi , Ceres optima , fallo ,
  Dura mihi ſemper , difficiliſque veni .

Poeta quum maxime cogitaret de abſtinendo in poſterum a chocolate , oppreſſus amici munere conſilium differt .

ELEGIA.

MEne operam Muſis non poſſe impendere , mane
  Barbaricus ſi non proluat ora liquor ?
Quid ſi non Calpes Abyleſque obſtantia clauſtra
  Fregerat ; ignoto claſſis itura mari ?
Mæonides tales numquam guſtando ſapores
  Europæ , atque Aſiæ ducere in arma manus ;
Anchiſaque ſatum potuit committere Turno
  Felix Romanæ conditor Iliadis.
Si pigra ſcribenti conſiſtit vena , licebit
  Mergam Gorgoneo cum capite ora lacu ;
Hos latices certe nondum fortuna negavit
  Vatibus : his vates utar oportet ego .
Mexiacæ , fateor , fuerat dum copia glandis ,
  Duxi ſecurâ pocula plena manu ;
Nec , matutinus ſi forte oppreſſerat hoſpes ,
  Suſtinui ſurdas liminis eſſe fores ,
Oppoſuive feram , vel ſum cauſſatus Iberæ
  Quæ redit occiduo claſſis ab orbe , moram ;

Un-

Uncia reſtabat: conſumſimus: o bene factum!
  Servus barbaricæ non ego meſſis ero.
Sum meus, Aoniæ teſtes eſtote puellæ:
  Jam mihi, jam veſtræ mane bibentur aquæ.
Gratia Dis, magni, quod nil miſiſtis, amici:
  Veſtro ſubtracta eſt munere cauſſa mali.
I puer, & quæ Mexiacos quæruntur in uſus
  Arma lege, & totis exige liminibus.
Quid mihi nunc parvuſque lebes, & ahenea fornax,
  Murrhinaque, & Samio cymbia ficta luto?
Quid mihi quid diro cum turbine? Phaſias olim
  Repperit hæc magicis arma miniſteriis.
Plura locuturo prima ſub luce Doriſtus
  Adſtat, & in manibus lata caniſtra tenet.
Hæc tuus auditor quondam, nunc ipſe magiſter
  Toldus, & accipias munera parva rogat.
Dixit, & ingentes reſupino vimine quadras
  Explicat, inſano pondere menſa gemit.
Obſtupui: pertentat odor præcordia notus.
  Credas ætheria munera miſſa domo.
Quid quæris? cauſſa morbus præſente revixit
  Protinus, extinctus qui modo viſus erat.

Olympias Magno Alexandro Filio. A navigando Oceano dehortatur.

EPISTOLA.

HAnc tua, Alexander, tibi mittit Olympia mater:
  Perlege maternâ verba notata manu.
Diceris Eoi, ſi vera eſt fama, profundi
  Velle per ignotas currere claſſe vias.
Agnoſco pulchros generoſi pectoris auſus,
  Et numquam reſides ad bene facta manus.
Nil egiſſe putas, niſi ſi majora ſequaris:
  Quo ſatus es, virtus arguit iſta Jovem.

Sed quod pace tua, rerum fortiſſime, dicam,
 Hæſiſti, nec, quo progrediaris, habes:
Quidquid ubique, tuum eſt, nec fas protendere Martem:
 Di revocant: cœptis præpediuntque viam.
Qua-ſe-cumque dies profert, hac viceris uſque:
 Hoc famam de te poſſe referre ſat eſt.
Nec male cum rerum natura definis: ultra
 Oceani nec ſe porrigit illa vias.
Ultimus hic rebus, ſi neſcis; terminus hæret.
 Poſt terras freta ſunt, poſt freta vaſta nihil.
Utque magis pateat: nec limes finiat Orbem,
 Quid refert? medias objicit æquor aquas.
Cernis, ut inſanis tolluntur cærula ventis,
 Littoraque horrendo rauca fragore gemunt;
Nunc mare ſe fundit, refugis nunc fluctibus aufert;
 Fallit & alterna terra, fretumque vice.
Quin illic turpeſque orcas, ſcopuloſaque cete,
 Piſtrin & immani corpore gurges alit.
Aut Athon, aut Rhodopen credas innare revulſos.
 I nunc, & contra tendere claſſe para.
Non hic, crede mihi, Ganges, non Indica tellus:
 Monſtra per hæc finem rebus adeſſe liquet.
Non illic roſeos molitur Cynthius axes,
 Luna nec in niveis pura renidet equis.
Navita, quid ceſſas? cœleſtia ſuſpice ſigna;
 Aptaque deprenſæ ſidera quære rati.
Hei mihi! non Helicen, non qua Tyros utitur, Arcton,
 Gnoſida non oculis, Andromedenque notas.
Omnia nocte latent, nec lux, niſi quum tonat æther,
 Tactaque de cœlo pinea texta labant.
Tene igitur tantis caput objectare periclis,
 Certaque ſub diro gurgite fata ſequi?
Scilicet hoc egere tui, generoſe, triumphi,
 Tantus ut ignotis obruereris aquis?
Eheu quid Perſas timui tibi? reddito nunc o
 Granicum, atque alios, quos ego paſſa, metus.

Oc-

Occideras ? flendus fueras ſine fine ; fatemur :
  At fortem mors hæc, quæ decuiſſet, erat.
Atque aliquis : Quid fles ? quæſita eſt gloria letho :
  Dis genitos tali non piget iſſe via.
Nunc contra dum quæris aquis ignobile fatum,
  Quod me ſolamen cladis habere jubes ?
Pellæo Juveni gentes gaudete ſubactæ !
  Ulciſci veſtram deſtinat ipſe vicem.
Dî melius, dirumque omen vaneſcat in auras,
  At tu, ne cogar dira timere, cave.
Non ſunt quæ poſſint tentari marmora remis :
  Stultitiæ pœnas exigit ille locus.
Non ipſe Alcides, non ultra tendere Iacchus
  Evaluit, quamvis dignus uterque Jove.
Plus iſtis audere nefas : temeraria virtus
  Eſt tua, propoſitum mitte, referque pedem.
Sed tamen Oceani, quod non fas, æquora vincas :
  An certa incertis poſthabuiſſe velis ?
Quod bene ſit, Pelles exorſus finibus arma,
  Imperium, late qua patet Orbis, habes.
Græcia te, Thracumque tremit Mavortia tellus,
  Illyris, & latis victa Propontis aquis :
Adde Getas, Beſſoſque, & ditia regna Syrorum,
  Nilon &, Iſiacæ qui ſecat arva Deæ :
Adde & Achæmenium Tigrin, magnumque Niphaten ;
  Totaque gemmiferi littora capta maris.
Singula quid refero ? dedit ultima terra triumphos ;
  Ceſſit & Æmathiis fera, recenſque dies.
Quid tamen iſta juvant ? ſi vixdum Marte ſubactos
  Protinus elabi poſt tua terga ſinis ?
Aut pavet, aut terret, nuper quem viceris, hoſtis :
  Cede procul, poſito ſumſerit arma metu.
Si quæris quid adhuc Mavors tuus egerit ille,
  Dimenſa Imperii eſt forma, modusque tui.
Altera nunc reſtat tibi pars, attollere molem :
  Huc quoque regales, ſi ſapis, adde manus.

Nunc opus Æmathiis componere legibus Orbem :
  Nunc recta mores inſtituiſſe via .
Quos dolor incendit cladis , clementia placet ,
  Teque odio ſi quis nunc habet , æquus amet .
Vindice te felix quod ſit , tibi debeat Orbis ,
  Et Tanti , dicat , ſuccubuiſſe fuit .
Huc ergo vigil incumbas : ea gloria prima
  Humanum factis demeruiſſe genus .
Hoc fecit , facietque Deos : ſic Liber , & ingens
  Alcides ſuperis accubuere toris ;
Nec Genitor , tonitru quod terret , tantus habetur ;
  Quod juvat , hoc majus nil Jove terra colit .
Patris ad exemplum populos terrore repleſti ,
  Lætus , quod ſequitur , nunc , faciliſque juva .
Pax redeat , mitiſque tibi ſine tempora circum
  Serpat laurigeras inter oliva comas .
Pax recreat feſſos : Pax horrea meſſibus explet :
  Pax etiam regni firmat , & auget opes .
Gloria nec veſtris , ſi non Pax quæritur , armis
  Ulla ſit : hunc fortis ſpectat , & arma capit .
Ergo age mitte acies , placidamque amplectere Pacem
  Hac fieri Magnum te quoque parte decet .
Hoc rogat & miles , qui rerum feſſus , & æger ,
  Dum perſtas demto vincere fine , perit .
Reſpice labentes exhauſtis viribus artus ,
  Membraque jam plagis vix habitura locum .
Tela quoque in manibus paſſim conſumta fatiſcunt ,
  Atque arma e toto corpore trunca labant .
Quid miſeros trahis in caſum , fatumque ſub undis ?
  Da terris , niſi ſunt improba vota , mori .
Non recte de te , quid poſſit miles in armis ,
  Conjicis ; ætherio non ſatus ille Iove .
Quæ magis augeſcit vis in te , deſit in illo :
  Teque ſequi (fletus aſpice) poſſe negat .
Macte opibus , generoſe , tuis ! poſt omnia miles ,
  Per quem viciſti , victus & ipſe tibi eſt .

Quin

Quin age, te (quod reſtat adhuc), fortiſſime, vince.
Si facis, hæc palmas vicerit una tuas;
Hæc ſuper Alcidenque vehat, magnumque Bimatrem;
Juppiter, Agnoſco, dicat & ipſe, meum.
Scilicet Eleam quondam curſurus ad urbem,
Committi paribus ſi licuiſſet, eras;
Dî bene, quod tandem dignam te nactus arenam es!
Hinc plus quam victo laudis ab Orbe feras.
Latius ut regnes, quid te trans æthera notum
Porrigis? ex facili quod petis, intus habes.
Spes avidas, animumque domes: ea maxima demum
Regnaque Fortunæ non ſubitura vices.
Uſque ne te incerto Dominæ pendere favore?
Nec felix, illi debitor eſſe, velis.
Longa quod emeruit ſub te ſtipendia, gratum eſt:
Nunc eat, & miſſæ præmia ſolve Deæ.
Nec, quod adhuc conſtans viſa eſt tibi, fidere perge:
Ut cupiat, finem non habet illa bonum;
Ridet, & ingentes ſecreto parturit iras.
Fallor? an ancipiti ſigna favore dedit?
Nempe, ut noſtra tibi narravit epiſtola, nuper
Turbatum tota Perſide pæne fuit.
Vix bellis ingenſque Thoas, fortiſque Cleanthus,
Miſſus & Hæmoniis acer Haleſus equis;
Antipaterque, Giaſque, & ſævi robur Abantis
Diſcuſſit dirum ſumta per arma nefas.
Nunc quod abes noto quamvis ſub ſidere, turbant:
Quid facient, ſi nec cognita claſſe petas?
Hei mihi! jam cerno ſcelerata erumpere bella,
Cunctaque præcipiti turbine Martis agi.
Quid me, crudelis! cenſes fore? ſcilicet illa,
Illa ego Alexandri de Jove tanta Parens,
Forſan barbarico ducar captiva triumpho
Inter Achæmenias ſerva futura nurus.
Me puto, Darii quæ matrem, fata ſequentur:
Capta licet, felix illa, nec orba fuit.

Quem

Quem mihi Alexandrum poſt te, ſcelerate! relinquis?
  Felix, ſi prædo me nece tollat, ero!
At demens mihi fingebam jam mente triumphos:
  Ille meus domito victor ab orbe redit:
Occurram, ſpoliiſque Eoæ gentis onuſtum
  Amplectar; reduci primaque grater ego:
Læta triumphalis ſpectabo fercula pompæ,
  Et felix populi voce fuiſſe ferar.
Sic ego: nunc contra curis male ſaucia, de me
  Quæ fieri poſſunt cumque, futura reor.
Sed quota pars tamen iſta metus? utcumque feremus
  Iſta: ſed, heu metuo quæ tibi, nempe feram?
Fortis in hoc, fateor, non ſum: de pectore vires
  Cedunt, materno conficiorque metu.
Anxia mens de te præſagia triſtia ſemper
  Fingit, & exanimem ſuccubuiſſe facit.
Aſpiceres utinam, ſenſus ut perdita labor,
  Labor vix longâ reſtituenda morâ!
Utque animus rediit, redeunt in corda pavores;
  Nec curas relevat, quum ſubit ipſa quies.
Oceanum nox omnis habet: nunc dira ferarum
  Corpora, nunc imis æquora verſa vadis;
Nunc & demerſâ video te nare carinâ
  Jactantem dubio brachia feſſa ſalo.
Hos inter durare horam me poſſe timores?
  Si poſſem, pelago ſævior ipſa forem.
Parce per o miſeræ lacrymas, luctumque parentis,
  Quæ tibi jam moriens cum prece tendo manus;
Parce ſalum periture ſequi; celerique recurſu
  Incolumem reddas te mihi, meque tibi.
Aut tua ſi precibus flectuntur pectora nullis,
  Certus & ignoto es quærere fata mari:
Me quoque conſortem diri facito eſſe pericli:
  Eſt tanti, tecum ſi periiſſe licet.
Sic ſemel exſtinguar, nec totis mœſta diebus,
  Quæ metuo de te, triſtia fata feram.

Sed

Sed cur exſtinguar? vivam magis: & mea tecum
Candida jam demum tempora ſoſpes agam.
Aut tua me pietas tam longum cognita fallit:
Aut mihi jam reditus ſpondet adeſſe tuos.

FRANCISCUS MARIA AB. RICCIUS ROMANUS

Monachus Caſinas

INTER ARCADES

ZITALCES MELENIDIUS.

ECLOGA.

Alexis. Tityrus. Jolas.

POËTA.

SOl tandem Eoæ de Sedibus Amphitrites
Puniceis evectus equis radiante ſerenum
Axe diem extulerat, quo Lauretana quotannis
Diva videt noſtros redeuntia Feſta per agros.
Tum fortunatis lectos ab ovilibus agnos,
Vix pulſos a lacte agnos mactare ſolemus,
Votiviſque ſacros aris imponere honores.
Tum circum effuſi Paſtores lata per arva
Ilicis, aut platani, aut patulæ ſub tegmine fagi,
Vel reſponſuræ per amica ſilentia vallis
Exiguos animant calamos; gracilique cicuta
Edoctæ divam reſponſant undique ſylvæ.
Eſt rupes, prono quæ ſpectans vertice pontum

Pro-

Protentum latus Hadriacis oſtentat arenis
Ardua conſurgens proceris maxima obumbrat
Æſculus hanc ramis; hederæque immixta corymbis
Circum ſilveſtres ſpargit labruſca racemos.
Tityrus hanc juxta, vacuaque reclivis in acta
Non humilis paſtor calamos inflabat agreſtes.
Hunc e vicino piſcator litore Jolas,
Retia ubi ad tepidos ſiccare madentia ſoles,
Et teretes ſuevit reparare e vimine naſſas,
Audiit; atque ultro hac compellat voce canentem.
Jol. Audis quid queruli reſonent lacrimabile mergi,
Rauciſona miſerum dum fundis arundine carmen?
Tityre, ni ſileas, numquam, mihi crede, ſilebunt.
Tyt. Quid tamen hæc fulicæ reticent ſcopuloſa per antra?
Ah non ipſe canas, ſimili ne carmine, Jola
Audito, raucas iterent ex more querelas.
Jo. Tu modo quum caneres, capti dulcedine cantus,
Crede, graves thynni, atque horrenti corpore phocæ
Arrectis ſteterunt ſimul auribus admirantes.
Ty. Credo equidẽ: at quid quum ſcopuli de vertice dudũ
Cuncta fatigares crepitanti litora avena,
Æquore ſubſiliens mediis udum caput undis
Extulit, & vix infelicia carmina delphin
Cepit, arenoſi petiit celer ima profundi?
Jo. Scilicet alterna quid poſſit uterque camœna,
Si libet, experiar. *Ty.* Tecum quin protinus auſim
Nam novi quid vos, quid piſcatoria poſſint,
Carmina. Me docuit quondam piſcator Amilcon
Exemplo ſatis ipſe ſuo, mihi victus Amilcon.
Noſter Alexis adeſt: ſedeat pro judice Alexis.
Jo. Opportunus ades, cunctis dulciſſime Alexi:
Me quoniam Siculi vocat ad certamina cantus
Extorris Paſtor, veſtris vix notus in arvis:
Qui, Nocalen ardens, dum ſe demonſtrat amantem;
Et jactat ſurdas maleſanum carmen ad aures,
Nocte fores tota calamo ſtridente fatigat.

Alex.

Alex. Tytire, tu ruris, tu noſtri gloria, Jola;
Certa maris, feſtiva dies nam fulſit olympo,
Qua veneranda Domus divini conſcia Partus
Angelicis innixa humeris hiſce appulit oris;
Et Maris, & Terræ obſequium modulentur avenæ.
Inſanas cohibete iras & jurgia: probris
Carmina veſtra vacent. Tu, ſi libet, incipe, Jola.
J. Dicite, cærulex, vos o mea gaudia, Nymphæ,
Dic reſona, Triton, permulcens æquora concha.
Qualis pacati ſpecies pulcherrima ponti,
Quæ vada, qui fluctus veſtri quum penſile Tectum
Et vada deſpiceret, veſtros & ab aëre fluctus.
T. Dicite, ruricolæ, vos o mea gaudia, Nymphæ,
Dicite, capripedes, ſilveſtria numina, Fauni,
Quæ conſpexerunt veſtræ miracula Silvæ,
Pratorum vel quantus honos quum penſile Tectum
Prataque deſpiceret, veſtraſque ex aëre ſilvas.
J. Tempus erat, quo ſalſa fremunt per ſtagna ſonantes
Æolio ex antro furiæ, quas Caurus, & Auſter,
Quas Eurusque, Notuſque ferunt. Sed Virginis Æde
Proſpecta, toto ceſſerunt æquore venti,
Inque ſua horriſonæ redierunt clauſtra procellæ.
T. Tempus erat, quo ſpargit agris e crine nivali
Hibernas Aquilo glacies, atque omnia late
Torpeſcunt quo rura gelu: ſed Virginis Æde
Proſpecta, fugere nives, ceſſere rigentis
Squallores brumæ, glacies Aquiloque receſſit.
J. Tum zephyri molles, & Eteſia flamina rore
Uvida nectareo, placidiſque Favonius alis
Virgineum circa Tectum ſubterque, ſupraque
Ludentes ſummas criſpabant leniter undas,
Plauderet ut pontus criſpatis leniter undis.
T. Tum quæcumque Domo liquidum per inane volanti
Obvia ſilva fuit viſa eſt frondere, comiſque
Luxuriare novis. Viruere & fagus, & ilex,
Et corylus, pinuſque fragrans, & quælibet arbos,
Et

Et coluere ſacrum demiſſo vertice Tectum.
J. At quod in æquoreis noſtris tum contigit undis
Num per frondentes veſtros & contigit agros?
T. Vah. Quod in æquoreis veſtris tum contigit undis
Num per frondentes noſtros non contigit agros?
J. Tramite tum longo viſi candeſcere fluctus.
T. Tramite tum longo viſi floreſcere campi.
J. Crediderim, quod Tethys amans emiſerit undis
Concharum niveum jubar, ut, qua Virginis Ædes
Aërium tranaret iter, ſimul æquore ſummo
Fulgeret mirus candenti lumine callis.
T. Crediderim, quod Chloris amans immiſerit agris
Omnigenum florum decus, ut, qua Virginis Ædes
Aërium tranaret iter, ſpatioſa per arva
Vernaret pictus fragranti gramine callis.
Al. Hactenus iſta. Satis parili certaſtis avena,
Gloria Sicelidum, & noſtri ſpes inclyta ruris,
Egregii Juvenes. hinc nec tu carmine Jolam,
Hinc nec deſpiciat te carmine, Tytire, Jolas.
Interea veſtras tegetes & litora linquam,
Frondibus ut tauros feſtis ex more coronem,
Mactandoſque meis ducam e præſepibus agnos.
Jamque per arva omnes, per litora jam vocat omnes
Thuriferum excipiens ſacra Virginis ara vaporem.
Feſtinate ambo. Medium nam tendit ad axem,
Exiguaſque facit jam Sol ſublimior umbras.

FINIS.

MAG2023505

Digitized by Google

Google